

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm
Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In
Novum Testamentum

Erasmus, Desiderius

Berolini, MDCCCLXXX

VD18 90514300

Historia Paraphraseon Erasmi Roterodami In Novum Testamentum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-14035

HISTORIA
PARAPHRASEON
ERASMI ROTERODAMI
IN
NOVUM TESTAMENTUM.



EX BIBLIOTHECA
OLDENBURGENSI



AUGUSTINO SUO
TO. AUG. NOESSELT
S.

I dentidem me provocasti, HUMANISSIME AUGUSTINE, ut, quae ex Erasmicarum reliquiarum lectione aut aliunde collegissim pertinentia ad historiam Paraphrasium Erasmi in Novi Testamenti libros, ea referrem in literas communemque in usum ederem. Cui voluntati TUAE equidem non invitus obsequor, non quo me putem ea de re tradere aliquid admodum exquisiti posse, sed quod et ipse iamdudum gestiat animus meus, et meo in Erasmus amori, et studio TUO, et lectorum a TE excitato desiderio quodam modo satis faciendi. Me quidem memini adhuc iuvenem incredibili legendorum Erasmicorum librorum cupiditate teneri; in quibus cum Paraphrasium suavitate in primis animum recreatum, studium autem sacrarum literarum vehementer inflammatum adiutumque sensisse: curiosa lectione conquisiveram, quidquid ad earum originem conversionesque cognoscendas facere posse videretur. Haec igitur cum obiter ac animi magis causa, quam cum consilio historiae harum Paraphrasium scribenda collegissim, eaque diu indigesta in commentariis iacuisserint: effecisti, AUGUSTINE, proposito TUO praeclari operis typographiformis restaurandi, et novo veluti auctario commendandi, ut ego, qui vel suadendo in confilii TUI societatem venisse, humanitate TUA excitatus, operam meam in contexenda de



istis Paraphrasibus narratione addicerem. Quam cūm publice etiā meo nomine promiseris lectoribus, vide, quid feceris. Neque enim mihi chartas meas retrahētanti ea rerum copia oblata fuit, quae videretur ad perpetuam nullisque lacunis interruptam narrationem sufficere; et difficile est, ut scis, satis facere nostrorum hominum fastidio, qui, nisi opimas dapes apposueris, vix dignentur attingere. Sed aggrediar tamen, ut et TUAM et meam fidem liberem. Mibi quidem iniquum videtur praetermittere hanc opportunitatem dicendi, quae initia et processus habuerit opus illud immortale magni Erasmi, quod, si vel sui similia pauca habuerit, neque elegantia, neque ubertate, neque subtilitate interpretandi, superatum umquam fuit. Nec quemquam, quod scio, nactum est, qui eius historiam paullo accuratius illustraret, admodum quidem sunt pauca, quae RICHARDI SIMONIS (a), HARDTII (b) et BURINAEI (c) diligentia concessit. Spero igitur me gratum fecisse quam plurimis, qui eam rem cupiant cognoscere diligentius, quod, cum absolutam dare narrationem non possem, collegerim tamen ex operibus Erasmi, excussis etiam aliis vel parum cognitis vel raro obviis libris, ea, quae ordine quodam tradita unoque posita sub adspectu, luminis aliquid afferre historiae celeberrimi libri possint.

Erasmum, satis constat, studia universa ad commendandas bonas literas convertisse, quibus efficeret, ut quam plurimi, relicta vetere barbarie, revocarentur ad studium sacrarum scripturarum, earumque adiu-

(a) *Histoire critique des Commentateurs du N. T.* ch. 36. p. 520 sq.

(b) In *Historia literaria Reformationis*, Parte I.

(c) *Vie d'Erasme* - - par Mr. de Burigny, Paris, 1757, 2 Tomis Duoden. Tom. I p. 462 seq. et alibi.



mento, vel ipsa Theologia, deterfis Scholasticorum fordibus, pristinae puritati integratique restitueretur. Sed facile praesagiebat animus fore, ut, qui vel tene-rentur librorum divinorum studio, tamen obiectis sive ab ingenii aliqua tarditate, sive a linguarum sacrarum imperitia, sive ab ipsorum librorum impedita ratione, difficultatibus ab eorum diligentí lectione deterrerentur. Quod genus difficultatum hoc magis inimicum debebat videri consilio Erasmi, quo magis cuperet di-vina oracula vel ad imperitorum et rudium intelligentiam transferre. Vicissim verebatur, ne, qui se dedi-dissent bonarum artium studiis, essentque assueti vete-tum scriptorum graecorum latinorumque elegantiae, divinos libros contemnerent. Itaque, ut et illorum inscitiae et horum fastidio mederetur, cepit consilium scribendarum Paraphrasium Novi Testamenti, quae et perspicuitate tardos, et suavitate delicatulos ad legen-dum allicerent (d).

a 4

(d) Accipe, quae fidem dictis faciant, loca ex epistolis Erasmi in pri-mis, in quibus citandis sequor elegantissimam ac plenissimam Io. CLERICI editionem, quae a ceterorum operum Erasmicorum edi-tione sciuncta prodiit Lugd. Bat. 1706. forma maxima. — Epist. 796 extr. „Addidimus paraphrases, quo segnibus etiam consulteremus et fastidiosos aliceremus obvia facilitate „ — Dedicat. paraphras. epist. ad Romanos: „Compertum habeo, quam multos ante hac sermonis peregrinitas, quanto plures tum explicationis, tum rerum difficultas alienarit ab eius lectione — Horum igitur vel fastidio, vel despera-tionis hac nostra industria studiuimus succurrere, ita negotium tem-perantes, ut ei, qui nolit quicquam in sacris literis immutari, com-men-tarii vice sit futurum, rursus ei, qui vacet huiusmodi supersti-tione, Paulus ipse loqui videatur. „ — Dedicat. epist. ad Hebreos: „Certe effeci, ut frequentius Paulus teratur manibus, quam antehac consuevit. Antehac vix intelligebatur ab eruditis sudantibus, nunc intelligitur et a semiidolis, modo ne sint omnino rudes sermonis Romani. — Epist. 910: „Nos scripsimus stilo non rhetorico, sed paullo mundiore — Studiuimus et politioris literaturae studiosos, velut esca quapiam, ad amorem sacrarum literarum allicere. „



Neque vero satis facere consilio potuisset aut consulere utrorumque necessitati, nisi liberiore usus esset dicendi genere, atque sacrorum scriptorum sermonem ex angustiis, quibus sive infantia eorum sive studium brevitatis res a se traditas conclusisset, quasi in spatio fiorem campum eduxisset. Qua quidem re effecit, ut, quod saepenumero ipse profitetur, hae Paraphrases commentarii locum sustineant. In quo modum etiam excessisse multis videtur, et non solum ultra terminos Paraphraseos progressus esse, sed etiam addidisse ea, quae neque verbis neque indiciis aliis essent a divinis viris significata (e). Atque ego non sum is, qui velim rationem Erasmicarum paraphrasium in omnibus defendere. Immiscuit profecto non pauca, in Evangeliorum interpretatione in primis, quae vel aliena sunt a sacrorum scriptorum consilio, vel certe supervacua possunt videri. Sed vicissim daturos spero iudices in concedendo aequos, primum in iudicando libro rationem habendam esse notionis, quam sibi scriptor ipse informaverit, deinde alienum nihil existimari debere, quod eius cum consilio, saepe non uno sed multiplici, consentiat. Neque enim Erasmus Paraphraseos vim cogebat in eas angustias, ut nihil esset nisi circumlocutio quaedam verborum, qua, quae obscurius aut pressius dicta essent, clarius atque explanatius eloqueretur. Paraphrasin commentarii quoddam genus saepe dicit, et in *Metaphrasi*, inquit (f), *sensus bona fide redditur, in Para-*

(e) V. libellum querelarum Episcopi Wigorniensis (STEPHANI GARDINERI) ad Thom. Cromwellum in Appendix to *The memorials of Thomas Cranmer*, by John Strype, Lond. 1694. Fol. No. 36. p. 78-81, et (RICH. SIMONIS) *Critique de la bibliothèque des auteurs Eccl. par Mr. du Pin*, Tom. I. pag. 594 sqq. itemque *Hist. crit. des Commentat.* p. 516. sq.

(f) Epist. 622. ad Ludov. Coronellum p. 714.



phrasī licet etiam de tuo addere, quod auctoris sensum explanet; est enim Paraphrasis non translatio, sed liberius quoddam commentarii perpetui genus, non commutatis personis. Cum rudibus et tardis et ubertatem elegantiamque sermonis desiderantibus Erasmus, ut ante dicebamus, scriberet; cum non modo verba explananda essent, pro quibus clariora substituerentur, sed etiam sensus ac vis orationis universae, ut unius sententiae ad alteram habitus, ut consilium dicentis, ut recondita imaginum, umbrarum atque allegoriarum potestas declararetur; cum tempori denique atque lectorum inertiae serviendum esset, qui allegoricis interpretationibus assueti, contra ad sensus plenitudinem periendam, eamque ad doctrinam et mores satis transferendam, hebetes essent: mihi quidem Erasmus non tam excusandus quam laudandus videtur, quod saepe haud paullo plus praestiterit in Paraphrasī, quam propria Paraphraseos natura contineat. Sed ea persequi Erasmumque diligentius defendere, longum est a consilioque nostro alienum. Unum licebit addere magis consentaneum proposito nostro, ut, quam late patuerit consilium Erasmi in elaboranda Paraphrasī, quamque inique propter aliena reprehendatur, rectius intelligi possit.

Magna pars Paraphraseon Erasmi contexta est e veterum inter Christianos scriptorum sive Patrum interpretationibus, nec ipse Erasmus se negat ex his maxime profecisse (g). Qua in re et si iterum vituperetur a SI-

a 5

(g) Dedicat. Evangel. Matthaei: „Nos in hoc opere potissimum secuti sumus Origenem, Chrysostomum ac Hieronymum., — Dedic. epist. ad Corinthios extr. „ Ambrosium ac Theophylactum potissimum secuti sumus -- et tamen hos duos sic habuimus in consilio, ut sem-



MONE (h) existimante, ita commentarium, non Paraphrasin, exstisit: quidnisi tamen licuerit Erasmo coniungere plura consilia, ista praesertim aetate, cui erat non nihil serviendum? Quoties ei occlamatum est, illum quam plurima de suis admiscuisse Apostolorum orationi? Quid futurum fuisset, si ne eos quidem interpretes consuluisset, qui tam optimi haberentur? quos, dum eodem fere tempore scripsisset annotationes in Novum Testamentum, ita triverat legendo, ut eorum interpretationes vel sponte in mentem recurrerent. Sed iis usurpandis etiam maiora moliebatur. Neque enim repurgare Theologiam poterat pristinamque ei simplicitatem reddere, nisi a Scholasticorum dumetis ad mundiores Patrum segetes Theologiae studiosos revocasset (i);

per id amplectemur, quod ex sententia Pauli maxime videretur.,, — Epist. 650 ad Marc. Laurinum p. 763: In Paraphrasi explico nouum caput Apostoli Pauli ad Romanos et tribuo minimum quiddam libero arbitrio, videlicet secutus Origenem et Hieronymum. — Cum profitear me in plerisque sequi probatos ac priscos interpretes, quid admissum est piaculi, si sequor alicubi Origenem et Hieronymum, auctores, ut arbitror, in sacris literis non aspernando? — Epist. 411. ad Melanchtonem:,, De Paraphrasi nemo facile pronunciabit (dixerat enim ille epistola, quae est inter Erasmicas 378, sibi in Paraphrasi quaedam visa esse διαγράψατε) nisi qui vigilantissimis oculis Veterum omnium commentarios excusserit.,,

(h) l. c. p. 596.

(i) Senserunt hoc adversarii, in his B E D A Praefat. ad annotationes in Iac. Fabrum et Erasmus: „Eiusmodi aegritudinum medicos i. e. sacrarum literarum Professores isti Humanistae theologizantes aspernantur; utpote quos praedicant in solis philosophicis ac argumentorum sophismatumque tricis consenserent —, nec minus a veterum Theologorum lectione, sanctorum videlicet Ecclesiae doctorum, profus abhorrente. — Absolutorum Theologorum nomen sibi vindicant Graecizantes, quippe qui divinam, ut aiunt, puramque Theologiae notitiam propriis e fontibus, non e lacunis, hauriant i. e. ipsi divinorum eloquiorum lectioni ac sacrae bibliae textibus incumbant, — bibant insuper de fluminibus, quae ab ipso divinae sapientiae fonte proprius emanant — i. e. qui veterum doctorum scripta — praे manibus habeant, non autem scholasticorum cert.,,



quarum aliquem veluti praegustum dare, earumque ad diligentiores lectionem vel ipsas per Paraphrases incitare cupiebat (k). Nec minore cum invidia aut potentius poterat depellere suspicionem neglectae veteris Theologiae, seque contra calumniam novorum errorum tueri, quam si Patrum, non suis, sententiis vim sacri sermonis exprimeret. E quo fonte non modo manavit coniunctio plurium lectionum, ut Matth. XVIII, 17, quamquam vel sic etiam auctoritatem veteris latinae versionis servare voluerit, itemque diversarum interpretationum, sed etiam studium allegoriarum, e quibus in scriptis Patrum frequentatis, se legit tolerabiles, (l) ne vel religiosas suorum hominum aures offenderet, vel iis qui bene tractare narrationes Evangelistarum non possent, opportunitatem eriperet, aliquid tamen pietati Christianae profuturum, cum delectu aliquo dicendi. His igitur de caassis Erasmus animum appulit ad scribendas Paraphrases, non continuo labore, sed diversis temporibus, et infinitos inter alios labores, quorum molestiam levaret hoc iucundiore, animumque taedio fatigatum recrearet. (m)

(k) Erasmus epist. 316. p. 320: „Nolim Paraphrasibus meis tantum tribui, ut his fretus quisquam negligat interpretum commentarios, praesertim vetustiorum; immo spes est, fore, ut ad hos diligentius exutiendos meus expergeficiat labor. ,,

(l) Erasmus Dedic. Evangel. Ioannis extr. „Allegorias, in quibus video Veterum quosdam ad superstitionem usque fuisse diligentes, parcius, nec ultra quam satis esse iudicabam, attigi.,,

(m) Ita ille Appendix epistola 220 p. 1649: „Mitto Paullum Romane loquentem. Nam huiusmodi solariolis veluti digressionibus me recreo, quoties studiorum, in quibus versor, satietas tentat obrepere., — App. ep. 245. p. 1160: „Cum nunc (A. 1517) verser in studii genere multo omnium molestissimo, nempe in recognoscendo prorsus Novo Test., eiusmodi veluti laxamentis animum reficere soleo, quoties satietas tentat obrepere; ea nostra vel pila est vel alea, quae me, redintegratis viribus, penso restituit.,,



Principio elaboravit Paraphrasin *Epistolae Pauli ad Romanos* anno MDXVII. Antverpiæ, et aliquot mensibus post, mense quidem Novembribus Lovanii excudendam curavit (n). Eam Idibus Novembr. dicavit Cardinali Grimano, Veneto, obtinuitque quod ambierat, favorem ac benivolentiam, non sibi, ut ait (o), sed studiis et Reuchlino, cui tum celeberrima controversia cum Theologis Coloniensibus intercefferat. Erat autem (p) hanc Paraphrasin mislurus Basileam; ceterum, cum videret nihil omnino afferri (ceterorum librorum, quos Io. Frobenius, typographus Basileensis tum suscepisset), suspicabatur eum esse plus satis oneratum, itaque commisit Lovaniensi, nescio cui? Numquam enim vel hanc editionem ipse oculis vel ab aliis enarratam vidi. Neque tamen haec editio ipsi Erasmo placuit; eius igitur exemplar a se utcumque recognitum misit mense Decembribus Basileam, non quo ibi statim formis typographi repeteretur (q). Sed continuo tamen re-

(n) Epist. 650. p. 764: „Mea Paraphrasis (epist. ad Romanos) excusa est Lovanii anno 1517 et aliquot mensibus erat Antverpiæ scripta prius quam excuderetur. „ — App. ep. 234: „Hic (Lovanii) excuditur Paraphr. mea in epist. ad Romanos. „

(o) In *Catalogis duobus operum Des. Erasmi Rot.* ab ipso conscriptis et digestis, Edit. Basil. 1537. 4. p. 70.

(p) Verba sunt ipsius Erasmi App. epist. 216. ad Beatum Rhenanum, d. 6 Dec. 1517.

(q) In eadem epistola: „Mitto nunc exemplar a me utcumque recognitum; verum incivile sit statim aemulari quod hic pauperulus excudit, qui nihil umquam excudit ab ipsis (Basileensibus) excusum praeter libellum *de Principe* — quo nomine hominem obiurgani, et sedulo ago; ne quid officiat Basileensibus, me certe auctore non faciet. „ Fuit iste Lovaniensis typographus haud dubie *Theodoricus Martinus*, qui *Institutionem Principis Christiani* edidit Lovanii, 1516. quaternis.

petiit Io. Frobenius mense Ianuarii A. MDXVIII. quaternis (r), iterumque eadem forma eodemque anno mense Novembris. (s).

Quod initium Novi Testamenti Paraphrasibus illustrandi cum vehementer omnibus probaretur, flagitarentque sacrarum literarum studiosi, ut item reliquis se epistolis explicandis Erasmus accingeret (t), edidit Basileae apud Io. Frobenium mense Martio A. MDXIX. quaternis, *Paraphrasin utriusque Epistolae ad Corinthios* (u), cuius dedicatio inscripta est *Nonis Februariis Loyanii*,

(r) Hanc quidem HIRSCHIUS commemorat. *Librorum ab anno I. ad annum L. Sec. XVI typis exscriptorum Millenario III.* p. 16, a quo dicitur edita in aedibus Frobenii apud inclytam Germaniae Basileam m. Ian. 1518. De hac videtur Erasmus dicere epist. 315. p. 320. ad Card. Griman. d. 26 April. 1518.: „Haec tamen non misi tibi volumen (Paraphr. epist. ad Rom.) sive quod *editio prima* mihi non admodum arrideret &c. Hunc libellum *ex officina Basileensi* satis eleganter excusum periclitari visum est, si forte nondum ad Te perlatus fuit.;

(s) Est ea in manibus meis, quam breviter, ut omnes ceterarum Paraphrasium mihi ipsi vissas, enarrabo: *In epistolam Pauli Apostoli ad Romanos Paraphrasis*, quae commentarii vice possit esse, per Des. Erasmus Roterodamum, ad reverendissimum Cardinalem Grimanum. In terro tituli Io. Frobenius studiosis oranibus commendat hanc Paraphrasin, ut Erasmus in reliquis item praestet, immo in universis novi instrumenti monumentis. In calce Frobenii signum est inclusum graecis, ebraicis et latinis sententiis, sub illo: *Basileae apud Ioannem Frob. mense Novembri 1518.* Paginae 141. — Ad hanc illamque editionem referenda sunt verba Erasmi Epist. 462. pag. 504. ad Card. Griman. d. 2. Oct. 1519: „Iam anni sunt aliquot, quod Paraphrasin ep. ad Rom. tui nominis auspicio in publicum emiserim, id que meo iudicio satis feliciter, *toties* interim excusa est typographorum formulis.;

(t) V. Epist. 307. 462. aliasque quam plurimas Erasmi aliorumque ad eum.

(u) Apud HIRSCHIUM l.c. p. 12. inscripta est: „Paraphrasis in duas epist. ad Corinth. per Erasmus Rot. recens ab illo conscripta et nunc primum typis excusa, ad Christi Paulique gloriam. Catalogum reperies in proxima pagella. In inclyta Basilea.„



quo, superiori anno, ex itinere Basileensi (x) redierat, *Erardo de Marca*, Praesuli Leodiensi, a quo erat eius Paraphrasis in epistolam ad Romanos, atque is ipse quoque coram, magna cum humanitate exceptus. (y)

Eodem fere tempore, aut paullo post edidit *Paraphrasin in epistolam Pauli ad Galatas* (z) eamque, instigante Paschasio Besselio (a) dicavit *Antonio de Marca*, Comiti, Abbatii posthaec Bellilocensi, Episcopi illius Leodiensis nepoti; quamquam eum post huius rei poenituisse videtur, cum haec benivolentiae significatio, qua conabatur *Marcam* devincire, eum nescio quo modo alienasset (b). Prodiit haec Paraphrasis sub medium

(x) V. App. Epist. 284. 285. 294.

(y) Vidisse se Episcopum, ante quam hunc librum ei inscriberet, ipse Erasmus in dedicatione profitetur. Atqui epistola inter Erasmicas 348. Episcopus d. 30. Decembr. 1518, accepisse se per Paschasiū literas Erasmi testatur, sibique gratissimam paraphrasin in epist. ad Romanos fuisse, sed Erasmiū praesentia sibi hactenus ignotum. Quare, cum Paschasiū Besselius Leodio d. 7. Ianuar. 1517. epist. 232. scribat „se quinto Calend. Ianuar. Principi reddidisse epistolam atque Paraphrasin Erasmi, eumque clara voce legisse quae scripsisset, et munuscum subinde osculatum esse, cupere etiam videre Erasmiū &c. „: Facilis est ad videndum non modo dedicationis istius occasio, sed etiam vitium, quod (ut multis in aliis epistolis, etiam in CLERICI editione) est in anno illius epistolae Besselii, pro quo necesse est reponi ann. 1519. Obiter admoneo, etiam epistola 309 et 316 rescribendum esse eundem annum.

(z) Dedicatio, quae nullam habet significationem temporis, hanc tamen Paraphrasin appellat proximam ei, quam eius patruo, Episcopo Leodiensi inscripsisset; eamque iam d. 25. Maii 1519. miserat Thomae, Episc. Dunelmensis, ut est in epistola 422; quem ad modum epist. 437. d. 21. Iunii narrat exiisse Paraph. in duas epp. ad Corinth. et in ep. ad Galat.

(a) Erasmus epist. 386. ad Ant. a Marca: „Persuaserat mihi ille quem nosti, me initurum haud mediocrem gratiam apud Tuam Celsitudinem, si eam aliqua parte studiorum dicata provocassem „ Ille, ut opinor, erat Pasch. Besselius; nam in prima editione huius dedicationis allata dicitur per Pasch. Besselium suae Celsitudinis epistola.

(b) Vide citatam epistolam. Videtur haec simultas in causa fuisse, cur vel universa illa dedicatio, vel nomen tamen Besselii in sequentibus editionibus omissa fuerit.

annum MDXIX (c) atque non ita multo post bis a typographis, Argentinensi et Lipsiensi, repetita fuit (d).

Illone ipso anno, quo ista Paraphrasis, an sequente secuta fuerit nova in *epistolas ad Timotheum, Titum et Philemonem*, non audeo definire (e). Dedicatio facta est Principi Trajectensi, *Philippo a Burgundia*, ad cuius dioecesin pertinebat Erasmus, qui et illi ante dicaverat *Pacis querimoniam*, et liber bis editus eodem anno.

Hac absoluta Paraphrasi, elaboravit hyeme anni MDXX. ineuntis (f) Paraphrases reliquarum Paulli

(c) Nescio an prima editio sit haec, quae in manibus est: *In epistolam Pauli ad Galatas Paraphrasis per Erasmus Roterodamum, recens ab illo conscripta et nunc primum typis excusa, ad Christi Paulique gloriam. Apud inclytam Basileam, quaternis, 63 paginarum, in quarum postrema signum cernitur Frobenii, additis verbis: Basileae apud Ioannem Frobenium, mense Augusto Anno MDXIX. Nam, uti diximus not. z., iam ante in epistolis tradebatur excusa.*

(d) Urraque eandem cum Basileensi epigraphen habet. Sed Lipsiensis, quae prodiit quaternis, in titulo traditur expressa *Lypiae ex officina Schumanniana*, in calce autem *Lips. ex aedibus Valentini Schumann anno dni millesimo quingentesimo undevigesimo. Argentinensis, cuius titulus vacuus est loci temporisque significatione, in calce s. p. 85. verba habet: Excusum Argentine in aedibus Ioannis Prüs, eivis Argentinensis mense Martio 1520. octonis.*

(e) Dedicatio prae se fert annum MDXIX, sed cum Erasmus longe Basilea abesset Lovanii, non mirum si serius, quae scripsisset, excusa fuerint. HIRSCHIUS duplicitis editionis mentionem facit. Unius Millenar. III. p. 15: „Paraphrasis in epp. ad Timotheum duas, ad Titum unam, per Def. Erasmus Rot. recens ab illo conscriptae et nunc primum typis excusae ad Chr. Paulique gloriam (Basil. in aedib. Io. Frob. m. Mart. 1520, quaternis. Alterius Millen. IV. p. 17: Basil. in aed. lo. Frob. 1520. octonis.

(f) Non dubito vitium esse in anno dedicationi subiecto, propagatum per editiones, quas vidi, omnes, et rescribendum *Lovanii Nonis Februar. MDXX (pro MDXIX)*. Praetermittam hoc, quod nulla editio vel in titulo vel ad calcem habeat annum 1519. Illud Erasmus in dedicatione claris verbis dicit: „se hanc Paraphrasim in quinque Paulinas epistolias, ex omnibus illius germanis retinuas hoc impetu proximo absoluiss; ; et epist. 481. extr. d. 13. Decembr. 1519.



epistolarum, earum quidem quas germanas putabat, ad *Ephesios*, *Philippenses*, *Colossenses* ac *Theffalonenses*, inscriptas Laurentio Campegio, tit. S. Thomae in Parione Cardinali, ut et benivolentiam viri remuneretur, et eo interveniente Leonis Pont. Max. patrocinium obtineret aduersus eos, qui isto tempore Erasmus omninoque bonas literas dictis scriptisque insectabantur (g). Ea Paraphrasis ter edita est uno eodemque anno, eodem fere tempore cum illa in epistolas ad Timotheum ceterasque Paulli privatas (h).

Ante-

loquitur de Paraphrasibus in Paulum tamquam nondum absolutis, quod, inquit, aspirante Christo fiducurus sum his hybernis mensibus. Praeter ea scripserat Erasmus epist. 416. d. i. Maii 1519. gestire se iam pridem Campegium et nosse proprius et coram adorare, sed valetudinem et navigationem molestam (in Britanniam, ubi tunc erat Campegius) obstat, mittere tamen se Novum Testamentum denuo a se recognitum, librum quidem recentem adhuc ab officina (quod prodidit mense Martio 1519). Et ipse Campegius epistola inter Erasmias 443. d. 14. Iulii 1519. Londini summo laborat desiderio Erasmum nondum sibi cognitionem videndi. Quomodo igitur iam Nonis Februarii anni undevigesimi in dedicatione scribere Campegio potuisse: „Brugis a coena hac oratione dimisit me R. T. D.? praesertim cum demum epist. 471. d. 16. Octobr. 1519. referat se Card. Campegius vidisse Brugis, coenasseque cum eo.,, — Si vera sunt quae dixi, sunt autem verissima, intelligendus est libellus, quem epist. 500. d. 15. Mart. 1520. Campegio mittit, de hac Paraphraesi epistolarum ad Ephesios &c. ut in Campegi epist. cit. 443. *paraphrasticus sermo in epistolis Pauli de Paraphraesi epp. ad Romanos, Corinthios et Galatas forte.*

(g) V. in dedicacione plura. Addit Erasmus in *Catalog. Operum Erasmi* ed. cit. p. 70: „Card. Campegius -- anulum misit ex Anglia, amicitiae pignus, cui postea dicavi Paraphrasim, non captans, sed reprendere studens beneficium.,, Atqui, cum eum anulum miserit cum ep. 443. d. 4. Iulii 1519, iterum patet, non ante hoc tempus illam Paraphrasin Campegio inscriptam fuisse.

(h) Primam, quae videtur, editionem HIRSCHIUS commemorat Mille-
nar. III. p. 15: Paraphrases in epp. P. ad. Ephes. Philipp. et Coloss. et in duas ad Theffal. cum epistola nuncupatoria ad reverendiss. D. D.

Law.

Antequam omnes Paulli Paraphrases Erasmus interpretando confecisset, accessit ad *utramque Petri Apostoli et Iudae epistolam*, quarum Paraphrasin sacram voluit esse Thomae S. R. S. T. T. Ceciliae Presbytero Cardinali, Archiepiscopo Eboracenfi, Angliae Primi ac totius regni cancellario summo (Thomae Wolseio) (i).

Animus erat Erasmo, exantlato interpretandi labore, quem in Paullinis consumserat, in posterum fibi canere et Musis, imo Christo magis, ut ait ipse (k).

Laurentium Cardinalem tit. S. Thomae, quibus commentarij vice uti poteris, autore Erasmo Rot. Ex inclita Esfileae (in aedibus Io. Frob. m. Mart.) 1520., *quaternis*. Alteram eodem titulo ornatam Basil. in aedib. Io. Frob. 1520. *octonis*. Tertiam ego ipse oculis Iustro: „Paraphrasis in epist. Pauli ad Ephesios, per Erasmus Roterodanum. Lipsiae apud Valentinum Schumannum. An. MDXX. *quaternis*, 7 plágulis contenta. Titulus unam ad Epistles epistolam promittit, sed insunt ceterae quoque ad Phil. Coloss. et Thess. omnes una continuatione, absunt autem cum dedicacione omnium illarum epistolarum *argumenta*.

(i) Istius libri rationem cognoscas e dedicatione, ubi inter alia: „Quamquam, inquit, nondum perfunctum provincia Paraphraseon, quibus epistolas Paulinas -- explicui, fatigatis etiamnum viribus, mox exciperet dimicatio cum obtrectatoribus (Eduardo Leo in primis), tamen illis tumultuari milite profligatis, iisdem statim copiis aggressus sum duas epp. Petri et unam Iudae. -- Magnopere cupimus, ut hanc industriam nostram R. T. D. candido calculo commendet studiosis -- quod ex eorum favore iudicioque, qui summa dignitate praement, mirus ardor ac stimulus addatur studiosis. -- Oportet eodem A. MDXX. eoque medio prodiisse, cum scriperit Erasmus epist. 509. d. 14. Iunii 1520; „Nunc aggrediar, immo aggressus sum Paraphrasi in duas epistolas Petri, hoc malo quam rixari cum rabiosulis. „ Nec tamen archetypum editum vidi, sed eius apographum: *Paraphrasis in duas epistolas Petri Apostolorum Principis et in unam Iudae per Erasinum Roterodamum secundis typis excusae. Lipsiae apud Valentinum Schumann.* Ad calcem est: *Lipsiae ex aedibus Val. Schumann, Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo.* Novem sunt plagulae cum uno folio, *quaternis*.

(k) Epist. cit. 481. p. 532.

XVIII

Sed illam metam paene amplexum spectantemque otium, revocavit ad studium *Matthaeus Cardinalis Sedunensis*, Comes Valesii, etiam atque etiam hortatus, ne quam huius laboris portionem aliis relinqueret, ut qui iudicabat hoc studium vel praecipuam utilitatem allaturum Evangelicae philosophiae candidatis, praesertim cum hoc opus Paraphraseon adhuc Momis omnibus *ἀμωμον*, alias autem istis temporibus nihil intactum esset a sycophantarum mortibus (l). Idcirco Erasmus ceteris Paraphrasibus primum illam in *Iacobi epistolam* addidit, mox, alias *trium epistolarum Ioannis Apostoli*, utramque isti Romanae Ecclesiae Purpurato nuncupavit (m). Denique, cum nihil supereisset epistolarum Novi Testamenti praeter *epistolam ad Hebraeos*, quam Pauli non esse suspicatus, diutius se posuerat, hac quoque interpretanda A. MDXXI. universum epistolarum cursum confecit (n).

Atque hic licebit, cum adhuc obiter de diversa singularum Paraphrasum editione dixerimus, veluti per excusum narrare, quoties, quoque modo omne

(l) Ita fere Erasmus in dedicatione Paraphr. ep. Iacobi.

(m) Paraphrasis in epist. *Iacobi* haud dubie elaborata est Anno MDXX, ad exitum vergente. Nam in dedicatione *omnes Paulii epistolae germanae*, itemque *Petri duae et una Iudae* ab Erasmo explicatae dicuntur, qui labores, ut ante docebamus, non sunt ante medium illum annum absoluti. Erravit igitur calamus aut memoria Erasmi signantis dedicationem die XVII. Calend. Ianuar. anni MDXX, quo dies dedicationis incideret in annum 1519; quod vitium in omnia huius dedicationis exempla irrepit. Nec nisi d. 31. Decembr. 1520. epist. 552. narrat, se *omnes epistolae*, praeter quam ad *Hebraeos*, in his *Iacobi unam*, absoluisse. — *Tres Ioannis* dicatae sunt *Matthaeo Cardinali*. d. VIII. Id. Ianuarias, nempe A. MDXXI.

(n) V. dedic. Paraphras. in *Marthaeum*. Inscripta est Paraphrasis epist. ad *Hebraeos Sylvestro*, Episcopo Wigorniensi, Angliae Regis perpetuo apud Leonem X. Oratori, Lovaniis XVI. Calend. Februar. A. MDXXI.



quasi corpus aut plures certe partes Paraphrasium epistolarum Novi Testamenti coniunctim editae fuerint, quoad equidem aut ipse cognoverim, aut aliorum, quos appellabo, auctoritate didicerim. Principio MAITTARIUS tradit (o), Erasmi Paraphrases in epistolas Pauli ad *Romanos*, *Corinthios* et *Galatas*, Basileae in aedibus Frobenii per Hieronymum Frobenium, Io. filium, mense Ianuario A. MDXX. oclonis, quae forte eadem est editio cum illa, quam eidem anno tribuit HERM. HARDTIUS (p). Porro hae mihi ipsi praesto sunt editiones. Prima cum titulo: Paraphrases Erasmi Roterodami in omnes epistolas Pauli germanas et in omnes canonicas, diligenter ab autore recognitae ac marginalibus indicibus illustratae, Basileae apud Ioannem Frobenium Anno M.D.XXI., oclonis, quod nomen urbis et typographi, idem annus quoque, legitur post epistolam Paulli ad Philemonem, tertiamque Ioannis (cum Frobenii signo in aversa postremi folii parte) itemque in titulo Paraphraseos epist. ad Hebraeos. Haec enim, pariter ut epistolae catholicae singularibus ornati sunt titulis; hae quidem hoc: „Paraphrases in epp. canonicas, duas Petri, unam Iudee, unam Iacobi et treis Ioannis„, illa hoc: „In epist. Pauli Apostoli ad Hebraeos Paraphrasis per Erasmus Roterodamum extrema„, ita tamen ut signa s. literae, quibus notatae sunt plagulae libri ab epistolis catholicis, ad calcem illius ad Hebraeos una continuatione procedant. Ceterum in hac editione neque ulla dedicatio neque argumentum ullum epistolarum cernitur.

b 2

(o) *Annal. typograph.* Tom. II. p. 593.(p) Tom. II. *Autographorum Lutheri et coetaneorum.* p. 83.

Altera, etiam octonis, hanc prae se fert inscriptionem: „Paraphrases Erasmi Roterod. in aliquot Pauli Apostoli epistolas, quarum catalogum in sequenti tabella reperies,, in qua non leguntur nisi epp. ad Ephes. Philipp. Coloss. et Thessal. quamquam in libro ipso ceterae quoque Paullinae ad Timoth. Tit. ac Philem. epp. Petri, Iudee, Iacobi, Ioannis illaque ad Hebraeos ita exstant, ut vel literae, quae sunt plagularum signa, ordine per omnem librum continuo sequantur. Post epistolam ad Hebraeos haec verba sunt: „Basileae apud Io. Frobenium mense Maio Anno M.D.XXII., Tertiam formae maxime eadem ex officina eiusdemque anni commemorabo post, cum ad Paraphrasin Evangelii Matthaei pervenero. Quarta typographi est in aliena iura involantis h. t.: „Paraphrases in epistolas Pauli ad Timotheum duas, ad Titum unam et ad Philemonem unam; item in catholicas epistolas Apostolorum, Petri duas, unam Iudee, unam Iacobi et treis Ioannis et ad Hebraeos unam, per Eraf. Rot., octonis, 378. paginarum; in adiecto postremo folio additum est: „Moguntiae apud Io. Schoeffer mense Augusto An. M.D.XXII., Videtur illa quidem pars esse altera editionis cuiusdam omnium epistolarum Nov. Testamenti. Quinta, Coloniensis, est ex eodem furtivarum genere: „Paraphrases Erasmi Rot. in omnes epistolas Pauli Apostoli germanas, et in eam quae est ad Hebraeos incerti autoris, cum iis quae canonicae vocantur, diligenter et recognitae et excusae, et ita digestae per tomos, ut cuique secare in formam enchoridii, si velit, liberum sit, quaternis. In ima paginae ultimae margine leguntur verba: „Coloniae in aedibus Eucharii Cervicorni, anno virginei partus M.D.XXII. Ceterum ante Epistolam



ad Ephesios novus est titulus: „ Paraphrases Erasmi Rot. in aliquot Pauli Apostoli epistolas, quarum catalogum in sequenti pagella reperies, „ qui catalogus ne ibi exstat quidem, ut facile agnoscas, titulum sine sensu ex archetypo exemplo repetitum. Similis est ante catholicas: „ P. E. R. in epp. canonicas, duas Petri, unam Judae, unam Iac. et treis Io., „ itemque alias ante illam ad Hebraeos: „ In ep. ad Hebr. P. p. Er. R. extrema, reverendiss. Patri ac Dom. Dom. Sylvestro episcopo Vuigorn. dedicata. „ Ex hac editione expressa videtur *sexta*, Argentinensis, adulterina quoque, *octonis*. Nam eundem offert titulum, nisi quod variationem habeat in verbis: „ diligenter recognitae excusaeque et ita binos in tomos digestae ut cuique &c., Argentorati An. M. D. XXIII. „ Omnis liber continet folia 271. In calce tomī prioris, s. post epistolas ad Thesfalonenses habes significationem typographi ceterarumque rerum his verbis: „ Argentorati apud Ioannem Knoblotchium mense Martio Anno MDXXIII, „ et aliam in calce posterioris tomī suo quoque titulo ornati: „ Argentorati Iohannes Knoblochus stanneis characteribus excudebat, quinto Idus Martias, prope sacrum diuae Barbarae phanum, anno M. D. XXIII. *Septimam* recito ad fidem HERM. HARDTII (q): „ Paraphrasis Def. Er. Rot. in omnes epp. Apostolicas, summa cura cognita, et ex archetypis et eruditorum animadversione, ita ut accuratius fieri vix potuerit. Ad Cardinal. Grymanum, Venetum, cum praef. Io. Frobenii, Basil. 1523. „ *octionis*; quae praefatio nescio an sit eadē illa, quae est in titulo editionis quam ter-

b 3

(q) l. c. Tom. I. p. 171.



tiam supra dixisse. — Sed harum de editionum varietate satis; nunc ipsius historiae Paraphrasium cursum persequemur.

Constituerat Erasmus, ut est a me ante narratum, percurso studio interpretationis epistolarum Paulinarum, conquiescere, nec addere quidquam ex hoc genere Paraphrasium. Sed cum Bruxellae salutandi gratia convenisset Matthaeum Cardinalem Sedunensem, e Wormatiensibus comitiis reversum, coepit is vehementer hortari Erasmum, ut, quem ad modum hortatu suo perfecisset epistolas N. T. catholicas, idem faceret in *Evangelio Matthaei*, eumque valde reluctantem deprecantemque variis argumentis delatam sibi provinciam ita vicit facundia et autoritate, ut is operam postremo cogeretur addicere. Erasmus autem profectus, mense quidem Novembribus A. MDXXI, Basileam, curaturus ibi tertiam ipsius Novi Testamenti editionem, sic urgebatur undique a Germanis, quibus Cardinalis in itinere opus proxima hyeme proditurum sponderat, ut, fidem suam et Cardinalis liberaturus, suscepimus librum monstruo ferme labore feliciter perficeret (r). Quo tempore cum audivisset a se alienatum esse animum Caroli V. Caesaris, cuius benevolentiae

(r) Copiosius haec ipse narrat Erasmus in dedicatione, itemque in epistola ad Cardinalem Sedunensem subiecta ad calcem ipsius Paraphrasos, quae et brevior et austior exstat etiam inter epistolas Erasmicas p. 670. N. 601. In hac scripta d. 14. Decembr. 1521: „Paraphrasim in Matthaeum, inquit, videbis excusam nundinis proximis., — Epist. 650. ad Marc. Laurinum d. 1. Febr. 1523. (lege 1522.) p. 752: „Aggressus sum et absolui intra duos ferme menses Paraph. in Matth.,, Haec epistola atque ep. 644. docet, quo modo Erasmus in ep. ad Card. Sedun. scripsit se *semianimum* absoluisse Paraphrasin; nam Basileae et pituita pestilenti laboraverat et calculo et stomacho collapso. Dedicatio inscripta est Idib. Ian. 1522, liber primum editus mense Martio.

ad huc plurimos fructus ceperat, erat enim ab eo et Consiliarii dignitate et sacerdotio, et annuo reditu donatus (s), effetque in aula Caesaris Hispanus, nefcio quis, magnae tamen apud Caesarem auctoritatis, isque Erasmo infensissimus, alii autem qui Erasimum tamquam Lutheranum traducerent: verebatur, ne haec ipsa benivolentia suaque causa plurimum detrimenti pateretur, praesertim cum divinaret Caracciolum et Aleandrum, mendacissimis obtrectationibus concitatos, aliquid adversus se in Caesaris aula moliri (t). Itaque hanc novam Paraphrasim Idibus Ianuar. An. MDXXII. consecravit Caesari, eaque, commode rem adiuvantibus amicis suis, non modo Caesaris in se favorem renovavit, sed etiam id consecutus est, ut et honorificentissimis literis Caesar gratias ageret, et, cum plerisque vel adimerentur vel minuerentur pensiones, Erasmi tamen in colum ac solidam futuram pollicerentur ii, qui de aulicorum numero magno favore illam Paraphrasin exceperint. Quae quam sitienter excepta sit, quamque late propagata, vel crebra brevi tempore typographorum formis facta repetitio docet (u).

b 4

(s) Catalog. Opp. Erasmi p. 71: „Carolus Princeps meus me iam asciverat in ordinem Consiliariorum, iam sacerdotio donarat ante quam illi libellum de Principe vel inscriberem vel exhiberem -- Eadem Paraphrasim e Basilea Bruxellam misi. Adde Epist. 181.

(t) De isto periculo deque felicissimo dedicationis successu vide Epist. 644, 650 et 652.

(u) Ecce indicem earum, quae ipsi mihi ad manus sint:

i) „Epistola nuncupatoria ad Carolum Caesarem. Exhortatio ad studium Evangelicae lectionis. Paraphrasis in Evangelium Matthaei, per D. Erasmus Ror. nunc primum nata et aedita. Epistola ad R. D. Matthaeum Card. Sedun., Haec est inscriptio



Hoc felici operis paraphrastici successu atque etiam
auctoritate summorum virorum, in his Alberti Archie-

ditionis omnium primae, eaque *Odonis*, cui Erasmus ipse ad-
fuit, et profitetur in *Declarat. ad censuras Fac. Theolog. Paris.*
p. m. 742. *Exhortatio*, quam adiecit quod typographus querere-
tur, alioqui paginas aliquot fore vacuas, inscripta est *postfridie*,
Id. Ian. 1522. In calce libri post *Errata*, verba sunt: „Basi-
leae apud Io. Frob. mense Martio Anno 1522.„, (quamquam
d. 7. Martii nondum erat perfectus, ut scribit epist. 617.)

2) „Io. Frob. Pio lectori S. D. Thesaurum haudquaquam vulgarem
tibi lector exhibemus hoc volumine, Paraphrasin in Evangel.
Matth. nupc primum natam et aeditam per D. Erasmum Rote-
codam: Paraphrases in omnibus epistolas Apostolicas, hoc est
Pauli, Iacobi, Ioannis, Petri, Iudee, per eundem. Quis-
quis amas philosophiam Christianam, hoc volumen in deliciis
habeto. Nam multo plus adfert lucis, minusque taedii, quam
aliorum verbosi commentarii. Bene vale. Apud inclytam Ba-
sileam per Ioannem Frobenium mense Martio Anno M.D.XXII.,
Est formae maximae s. in folio et eodem cum prima tempore,
quoad epistolulas Apostolicas etiam prius excusa. De hac, opinor,
Erasmus epist. 652. d. 21. Mart. 1523. (rescribe 1522, ut omnia
arguant:,,) Exiit N. Test. iam tertio a me recognitum et lo-
cupletatum. Exiit Paraphrasis nova in Evang. Matth. cum ca-
teris in omnes epistolulas Pauli.,, Epistola ad Card. Sedunensem
Paraphras in Matth. subiecta est cum virtutum typographi huius
editionis emendatione; tum Frobenii signum cum verbis: Ba-
sileae ap. Io. Frob. Idibus Martii M. D. XXII.,, Epistolae
Apostolicae paginarum 462, hoc sunt ornatae titulo: Io. Frob.
lectori S. D. In universas epistolulas apostolorum ab Ecclesia re-
ceptras, hoc est Pauli quatuordecim, Petri duas, Iudee unam
Iacobi unam, Ioannis treis, paraphrasis, hoc est liberior ac di-
lucidior interpretatio per Eraf. Rot. ex archetypis primis dili-
genter ab ipso recognitis. Cuius diligentiae nostra quoque cura
non defuit. Tuum erit optimus lector dare operam, ne vel ille
Christi gloriae, vel nos tuae commoditati frustra fudasse videamur.
Vale.,, Post Paraph. ep. ad Hebreos, quae sequitur Ioannis
epp. adiiciuntur haec: Basileae apud Io. Frob. mense Febr. anno
M. D. XXII.,, tum Index ternionum et erratorum, postremo
signum Frobenii.

3) „Paraphrasis in Evangelium Matth., per Def. Eraf. Rot. nunc
primum nata et aedita. Epistol. nuncup. ad Car. Caef. Exhort.—
lect. Epist. — Sedun. Moguntiae An. M. D. XXII. odonis. Ni-
hil nisi repetitio superioris primae, expunctis tamen erratis, pro-



piscopi et Cardinalis Moguntini itemque Io. Fischeri Episcopi Rottenfis apud Britannos, incitabatur Erasmus, ut *Ioannis Evangelium* eodem modo interpretaretur. Quod quidem, ut Matthaei *Evangelium* Carolo V. Caesari, *Ferdinando*, Austriae archistra-
tego, Caesaris fratri germano dedicare decrevit, edi-
ditque, eo concedente et vero etiam postulante, anno
post editum *Matthaeum* (x). Princeps, qui valde ama-
bat libros Erasmicos, nec, ut ait ipse (y) cum quo-
quam quam cum Erasmo libentius loquebatur, summa
cum alacritate accepit oblatum munus misitque Erasmo
cum literis suis, tamquam honorarium munus florenos

b 5

quibus addita sunt nova, post ea, haec: „Moguntiae Anno
MDXXII.”

- 4) Editio *Colonensis* anni 1522. octonis, ad fidem HERM.
HARDTII (*Autograph. Lutet.* &c.) Tom. I. p. 146.
- 5) „Epistola nuncupatoria (cum ceteris verbis quae in edit. prima se-
quebantur, usque ad: — Erasm. Rot. nunc denuo recognita.
Epist. ad -- Sedun. Basileae in aedibus Io. Frob. An. M.D.XXIII.,
octonis. Differt a prima sic, ut emendata sint primae errata,
addita autem in tergo tituli Caroli V. epistola remuneratoria
pro dedicatione, Bruxellae. d. 1, April. 1522; ceterum in calce
libri nihil vel de typographo vel de tempore excusi libri. Hanc
editionem videtur Erasmus intellexisse epist. 663, anni 1523:
„Paraphrasis quam nuper edidimus in *Matthaeum* iam tertio
excuditur. Addimus
- 6) Paraphrasin in *Evang. Matth.* per Def. Eraf. nunc denuo recogni-
tam, exiisse A. 1524. octonis tradit HARDTIUS (l. c. Tom. II.
p. 124.)

(x) Vide dedicationem. Epist. 638. d. 29. Novembr. 1522, qua se no-
vam Paraphrasim Ferdinandus promittit nuncupaturum, nomina etiam
profert eorum, quorum hortatu opus suscepit. Incitat significan-
tem Erasminum Ferdinandus ad curam imprimendi transmittendique
operis, ep. 651. d. 15. Feb. 1523.

(y) Epist. cit. 651.



centum (z). Et ista Paraphrasis crebrius repetita est typographorum formis (a).

Addidit Erasmus non ita multo post, eodem certe anno, Paraphrasin in *Lucae Evangelium*, eamque dicavit decimo Calend. Septembr. anni MDXXIII, Hen-

(z) *Catal. Opp. Erasmi* p. 71. Adde Append. epp. Erasmi p. 325.

(a) Sunt apud me haec editiones:

- 1) „D. Erasmi Roterod. Paraphrasis in Evangelium secundum Ioannem, ad illustriss. Principem Ferdinandum nunc primum excusa. Basileae in officina Fröbeniana. Ann. M. D. XXIII. cum gratia et privilegio Caesareo, „forma maxima, paginarum 195. Nempe cum Frobenius immensam pecuniam impendisset in castigatores librorum, frequenter et in exemplaria ipsa, essent autem plures, qui, ubi quid novi operis prodierat ex eius officina quod putarent vendibile, excuderent illud ac venditarent minimo, quod saepe diximus factum in superioribus Paraphrasibus: miserat Erasmus Bilibaldo Pirckheimero, cum epist. 616. data d. 27. Ianuarii 1522. (lege 1523) partem Paraphraseos in Ioannis Evangelium, ut Frobenio impetraret interdictum Caesaris, ne quis librum primum a Frob. excusum intra biennium typis repereret. In calce voluminis signum est Frobenii, sub eo verba: „Basileae in aedibus Io. Frob. mense Februario An. M. D. XXIII. Ceterum plane facta est ad modum eius editionis Prph. Matth. epistolarumque Apostolicarum quam enarravimus not. u. Nro. 2.
- 2) Alia cum eodem ad verbum titulo, sed *ođonis*, et, quoniam forte vacabant aliquot paginae, ut quidem narrat Erasmus, addidit alloquium pii lectoris, quod est in edit. Berolinensi Vol. II. p. 711 sqq. De quo lepidam rem narrat in *Lingua*, Edit Lugdun. 1555. sedenis p. 208. Sequuntur errata, post haec sub signo Frob. haec verba: „Basileae apud Io. Frob. mense Martie A. M. D. XXIII.
- 3) Nec tamen impedivit Caesaris interdictum, quo minus iniquus aliquis typographus recudendo aemularetur librum. Est enim apud me editio eiusdem tituli: „D. Erasmi — Ferdinandum. Cum indice capitum adiecto sequenti pagella, „*ođonis*. Sed videtur tamen illud effecisse, ut typographus poenae metu nullam neque sui neque loci neque temporis significationem, neque in titulo neque in calce daret.
- 4) „D. Erasmi Rot. — Ferdinandum, per autorem recognita. (Tum signum Frob. sub illo autem verba:) Basil. in officina Frob. An. M. D. XXIII. „(quae et ipsa in calce leguntur cum eodem signo,) *ođonis*. Nec adest alloquium.



rico VIII. Angliae Regi, multis de se nominibus merito (b); paucis mensibus interiectis etiam reliquam in *Evangelium Marci*, inscriptam Galliarum Regi, *Francisco*, eius nominis primo, magno et bonarum literarum et suo in primis fautori, Calend. Decembr. A. MDXXIII (c). Tandem universum corpus librorum Novi Testamenti complevit editione Paraphraseos in *Apostolorum acta*, atque, cum cognovisset ex amicorum literis, *Clementem VII*, Pontificem Romanum nuper admodum creatum, bene de se sentire, speraretque forte, ut Stunicae furor, nondum vel per Leonis Adrianique PP. MM. interdicta sedatus, optime coerceretur, si novum novi Pontificis severitas hominem cohiberet: ei librum, quem Cardinali Ebora-

(b) Huius mihi praefsto sunt editiones tres.

- 1) „In *Evangelium Lucae Paraphrasis Erasmi Rot.* nunc primum nata et addita (Post signum Frobenii.) Basileae in aedibus Io. Frob. A. M. D. XXIII. tertio Cal. Septemb. cum privilegio Caesareo „othonis. Ultimum folium habet: Basileae apud Ioh. Frob. mensi Augusto An. M. D. XXIII., a tergo Frobenii signum.
- 2) „In Evang. — Roterod. per autorem recognita (Tum signum Frob. Basil. in aedib. Io. Frob. M. D. XXIII. cum privileg. Caesareo „othonis itidem. In calce est annus M. D. XXIII.
- 3) Alia eiusdem tituli, omisla tamen significatione privilegii Caesarei, et addita formula: „ Basileae in officina Frob. An. M. D. XXXIII. „ othonis. 527. paginarum. Ad calcem Frob. signum.
- 4) Istius Paraphraseos non nisi duae editiones oblatae fuerunt. Una, h. t., „ In *Evangelium Marci Paraphr.* per D. Eras. Rot. nunc recens et nata et formulis excusa (cum signo Frobenii.) Basileae in officina Io. Frobenii An. M. D. xxix. cum privilegio Caesareo „ othonis. In calce praeter signum illud Frob. nihil reperitur. Altera sine indiciis loci, anni, aut typographi, furtim, ut opinor, excusa: „ Paraphr. in *Evang. Marci*, per Erasmus — excusa. „ Huius, ut Paraphraseos in *Matthaeum* et *Ioannem*, novam eamque emendatam editionem commemorat Erasmus epist. 796. extr. d. 7. Martii 1526, sed eam nec ipsi nec ab aliis descriptam vidimus.



XXVIII

censi destinarat, sacrum voluit esse (d). Nec frustra. Namque is ei non modo misit diploma honorificum cum honorario munere ducentorum florenorum aut centum angelatorum, nominatim significans se misisse ob inscriptam Paraphrasin, sed Stunicae etiam, quod maxime optabat Erasmus, silentium imposuit. (e) Unam *Ioannis Apocalypsin* non instituit Erasmus eodem elabore modo, cum eam existimaret ne Paraphasi quidem illustrari posse (f).

Sed nec defuere his Paraphrasibus adversarii, non modo privati, sed qui publice etiam scriptis actionibusque adeo forensibus ac decretis laeserent Erasmum, apud Gallos in primis et Hispanos. Variae fuerunt eius accusandi caussae, non e solis Paraphrasibus ductae, atqui inciderunt controversiae eorundem adversariorum Erasmi cum aliis, quibus odium in Erasmum vel concitaretur vel exaeerbaretur; sed cum longa sit tragœdia eaque ab hac de Paraphrasibus narra-

(d) Haec ipse narrat Erasmus Clementi Epist. 670, d. 13. Febr. 1524. Dedicatio data est pridie Calend. Febr. A. 1524. Paraphraseos autem ipsius tres editiones cognovi. Primam h. t.:,, In Acta Apostolorum Paraphras. Eraf. Rot. nunc primum recens et nata et exeuza (Sequitur Frob. signum.) Basileae in officina Io. Frobenii. Anno M. D. XXIIII. cum privilegio Caesareo „ odonis. Etiam ad calcem periuntur haec: Basil. ap. Io. Fr. 1524. Alteram eadem inscriptione ornatam, sed neque ibi neque ad calcem quaedam est sive loci sive typographi mentio, sed in titulo haec tantum:,, Anno M. D. XXIIII odonis. Tertiam recitat HARDTUS I. c. T. I. p. 224: „, In Acta — Er Rot. Ad Clem. VII. Pontif. Peregrinatio Apostolorum Petri et Pauli cum ratione temporum, per Eraf. Rot. 1525. odonis.

(e) V. Epist. Erasmi 684. ad Bilbaldum d. 21. Julii 1524. epist. 691 d. 4. Sept. ad Guilielm. Archiep. Cantuariensem, et Append. epist. 328.

(f) Ita Erasmus epist. 673. d. 26. Martii 1524: „Absoluti Paraphras omnes in N. T. excepta *Apocalypsi*, quae nullo modo recipit Paraphrasen, vix etiam interpretem, ut iam illam hoc labore dignarem. „,

tione aliena, non enarrabimus controversiam Erasmi cum adversariis, nisi hac ex parte, qua Paraphrases ipsas attingit, aut quatenus haec de Paraphrasibus contentio intelligi sine ceteris non posse videatur.

Vetus erat multorumque saeculorum consuetudine firmata celebritas Universitatis Parisiensis, ad quam deferri solebant caussae celebriores, quae in Ecclesia agitarentur, plurimaque exstant decreta Sorbonae de rebus ad fidem disciplinamque pertinentibus, nata per occasionem novarum rerum, quas moliebantur ii, qui subinde Ecclesiae emendationem postularent. Horum magnam partem satis constat ARGENTARIUM, Sorbonicum doctorem, collegisse (g). Ea, cum nata esset longa contentio Reuchlini cum Theologis Colonensibus, illum condemnaverat, longe vehementius etiam Lutherum, edita Anno MDXXI. *Determinatione Theologicae Facultatis Parisiensis super doctrina Lutherana* (h); Quo tempore, cum maxima copia librorum Lutheri aliorumque contra errores vitiaque Romanae Ecclesiae in Galliam esset delata, cavit auctoritas Francisci I. regis et Senatus Parisiensis s. Parliamenti: ne qui libri Lutheri doctrinam continentis aut excuderentur typographorum formis aut venderentur, vel omnino quidquam librorum ederetur aut disseminaretur, nisi auctoritate Universitatis aut Facultatis Theologicae (i). Enimvero, cum Lutherus eiusque in reprehendendis Ecclesiae vitiis similes liberius castiga-

(g) In celeberrimo Opere: *Collectio iudiciorum de novis erroribus &c. Opera et studio Caroli du Plessis d'Argentré, trium tomorum, Lutet. Parif. 1728 et 36. forma maxima.*

(h) Excusa est saepius, veluti a BULAE in *Historia Universitatis Parisiensis*, Tomo VI. pag. 116. sqq.

(i) Vide BULAEUM l. c. p. 128. et ARGENTARIUM, Tom. I. P. II. pag. 404.



rent Theologicam barbariem ad eandemque depellen-
dam bonis literis et liberaliori sacrarum scripturarum
interpretatione vterentur: quicunque eandem in libris
suis rationem sequebantur, venerunt in suspicionem
haereseos, diligenterque cautum est a Theologis Pa-
risiensibus, veteri doctrinae addictissimis, ne illorum
libri magno cum vetustatis detimento in vulgus spar-
gerentur. In his Erasmus, qui libris quam
plurimis veterem barbariem, inscitiamque et pra-
vitatem morum in Theologis ac monachis castigas-
set, bonas artes exempli librorumque suorum auctorita-
tate commendasset, textum Novi Testamenti archety-
pum, eumque cum versione latina et annotationibus
edidisset, Paraphrasibus denique sacrorum librorum
oracula ad communem etiam vulgi usum traduxisset.
Qua quidem re auctoritati vulgatae usque Theologo-
rum tritae versioni Bibliorum detrahere, veterem do-
ctrinam pervertere novamque propagare, honori et
iam hominum Ecclesiasticorum insidias facere videba-
tur, eaque de caufa iamdiu erat a DORPIO, LEO,
LATOMO, STVNICA infinitisque aliis oribus scri-
ptisque exagitatus, quibus ita responderat, ut periculi
ab eo imminentis suspicio aucta potius esset, quam im-
minuta. Sed effecerat et consilium Francisci Regis
arcessendi Erasmum in Galliam, quem novo Collegio,
quod instituturus esset Rex Parisiis, praeficeret, et Ludo-
vici Berquini imprudentia, ut Theologi Parisienses in-
ciperent vereri, ne malum se suamque rem proprius
attingeret. Non lubet isto de Francisci instituto co-
piosius exponere, id quod et factum est ab aliis (k) et

(k) a BULAKO l.c. p. 93 et 222, itemque a BURINEO, *Vit. Erasmi*, T. I. p. 236. sqq. In utroque excerpta sunt etiam ex Erasmi
aliorumque epistolis, quae pertinent ad istud negotium.



a nostro quidem consilio abhorret. Linguis docendis
hoc erat trilingue Collegium destinatum, nec, nisi
anno demum MDXXVIII perfectum fuit, maxime
invita et multis modis repugnante Universitate Pari-
sienſi, nec oblatam sibi a Rege dignitatem Erasmus
acepit vel voluit accipere. Sed *Berquini* cauſſa ita
coniuncta est cum altera Erasmi, ut brevis eius narra-
tio hic praetermitti a me minime debeat.

Berquinus igitur, vir nobilis, Praefectus, item-
que Regi a consiliis, ingenio liberalis, castissimus vi-
ta, veritatis amans, non item stultitiae Theologista-
rum aut monachorum, praeterea iniuriarum non ad-
modum patiens (l), et ipſe aliquot scripſerat libros,
niſi doctrinae publicae, certe Theologorum vulgo, ini-
micos, et libros Lutheri, Melanchtonis aliorumque
gallice verterat. Hos Curia Suprema Parisiensis ad
ſe delatos, examinandoſ misit Theologorum Parisien-
ſium Collegio, quod eos universos damnavit decreto
ſuo d. 26 Iunii A. MDXXIII. alio etiam d. 6 Oct. fin-
gulari plures Melanchtonis libros, in his *Locos*, tam-
quam *qui ob fucos et lenocinia verborum etiam ma-*
gis effent pernicioſi et periculosoſi, quam ipſius Lutheri.
Quos cum Lutheri scriptis Senatus ipſe ſevera ſen-
tencia d. 12 Aug. ab omnibus tradi iuſſit, niſi exilii et
direptorum bonorum poenas dare vellent; de Berqui-
no autem iuſſit quaesionem fieri, qui, cum pertinaci-
ter dogmata a Theologis obiecta defenderet, in car-
cerem coniectus est, nec niſi fere post biennium Fran-
cisci regis auctoritate liberatus (m).

(l) Talem fere depingit Erasmus epist. 1060. p. 1207.

(m) Acta huius belli cum iſtis libris, primus edidit ARGENTARIUS
Collect. iudic. de novis error. Tom. I. Part. II. pag. 404 ſqq., iterum-
que, Tom. II. pag. XI ſeq. Adde BULATI Hift. Univers. T. VI.
pag. 155 et 190.



Principio sequentis anni, mense Ianuario, perlata sunt Lutetiam diligentia cuiusdam *Conradi (Re-schii)* Germani bibliopolae aliquot exempla Paraphrasos *Erasmi* in *Lucae Euangeliū*, excusa Basileae. Quem librum ille cupiens repetere formis cum priuilegio, adiit *Francisc. Delvinum*, ut supremi Senatus decretum de opere edendo obtineret. *Delvinus*, non ignorans, decretum tale non dari de libris super Christiana fide aut scripturarum interpretationibus, nisi prius essent a Theologorum Collegio examinati, misit Paraphrasin ad *Natalem Bedam*, istius Collegii Syndicum, ut is notaret si quid in libro offendiculi reperisset. Nec ei difficile fuit, cursim deprehendere errorum aut suspectarum propositionum semicenturiam. Posthaec oblato per Conradum libro ipsi Theologorum Collegio, et constitutis ad examinandum iudicibus, ab his quoque damnatus est. Itaque Conradus a proposito destitit (n).

Nec tamen conquieuit Bedae sedulitas. Namque, cum Berquinus mense Martio A. MDXXV esset e carcere dimissus et aliquot Erasmi libros veluti *Matrimonii Encomium*, *Enchiridion militis Christiani*, *Paraphrasin in precationem dominicam* et alia, in francogallicam linguam translatisset, isti autem libri ad examinandum traditi essent Theologorum Collegio; et illi reieci fuere (o), Beda autem per hanc, ut mihi qui-

(n) Ita narrat ipse Beda in *Apologia adversus clandestinos Lutheranos* apud ARGENTARIUM l. c. Tom. III. Part. II. p. 67. Cum dicit ea contigisse A. MDXXIII. ad suppurationem Parisensem, tendendum est Lutetiae tum annum numeratum esse a tempore Paschali; quare, quae Ianuario mense A. 1524. facta sunt, ad annum 1523. referuntur.

(o) V. Erasmi epist. 746. ad Beddam d. 15. Iunii 1525. p. 873. et ipsius Bedae epist. quae est in Appendix ad *Erasmicas* 332. p. 1709.



quidem videtur, occasionem scripsit decretum d. d. VII Aprilis A. MDXXIII (XXV) probatum et subscriptum a *Guil. de Quercu*, quo *Erasmi doctrinam in non paucis erroneam, et bonis moribus impudenter adversantem, ab illa igitur maxime arcendos esse monasticam vitam professos*, declararet (p). Inter ea Erasmus per Delvinum acceperat ea, quae Beda, ut diximus, e Paraphrasi in *Lucam* notaverat, neque iis tum adeo offensus fuit, ut vehementer optaret etiam familia in ceteras Paraphrases, ceterum responsonem ad illa notata mitteret Nicol. Beraldo, quam cum Beda communicaret, et vero etiam edendam curaret, si quidem Beda suas castigationes divulgasset (q). Nec vana erat Erasmi suspicio. Namque eo ipso tempore, quo Beda videbatur de pace mutuis literis concilianda cogitare, non modo superius decretum suum coepit cum ipsis animadversionibus in Evangelii Lucae Paraphrasin spargere, sed has quoque supremo Senatu tradidit, in edenda censura reliquarum Paraphrasion undecim mensibus desudavit, nec in ea scribenda rationem ullam responsonis Erasmicae habuit (r).

(p) Exstat post Erasmi *Prologum suppeditationis errorum in censuris Beddae*, aut Erasmi Opp. Tomo IX., Edit. Basil. 1540, quam semper sequor in citandis apologiis Erasmi. Apud ARGENTARIUM I. c. Tom. II. p. 42. est „Determinatio Facultatis super quibusdam libris Erasmi e latino in linguam vulgatam traductis (*Encomio matrem. De modo orandi et Symbolo*) d. d. 23. Maii 1525; ut alia d. I. Iunii 1525, qua verat, ne Erasmi *Querimonia pacis* gallice versa typis imprimatur, cum adiecta censura erroneous propositio- num, quae istis in libris deprehensae fuissent.

(q) V. Erasmi Epist. 741. et Beddam apud ARGENTARIUM, Tom. II. P. II. p. 67. 68.

(r) Fidem huius narrationis faciunt *Prologus* Erasmi citatus p. 370. eiusque literae ad Facultatem Theologie Paris. Ibid. 373., Bedae ipsius confessio de novo iam Iunio mense a. 1525. suscepto opere apud ARGENTARIUM, Tom. III. Part. II. p. 4., mutuae deni-

His de causis Erasmus, cum ab ipso Beda precibus obtinuisse aliquot propositiones, quae ei in ceteris Paraphrasibus displicerent, quamquam vitiosissime scriptas, literis apud Theologos Parisienses de iniuria questus est, defensionemque reprehensarum propositionum addidit (s). Sed nihil profecit. Beda quidem non dubitavit in publicum proferre *Censuram suam* die 3. Maii A. MDXVI absolutam, quam Theologica Facultas oblatam sibi, per selectos de suo Collegio viros examinari curavit, atque ut ederetur ac venderetur, d. 16 eiusdem mensis concessit (t).

que inter eum Erasmusque literae pag. 68. seqq. Erasmi prima in corpore epistolarum Erasmicarum est 741, altera ep. 751, tertia 767, quibus addenda ep. 746; de Bedaicis non nisi prima exstat in Append. epp. Erasmi No. 332. sed vitiose.

- (s) Haec Beda in Praefat. ad annotationes in *Fabrum et Erasumum*, pagina penultima, et Erasmus II. citt.
- (t) Liber, quamquam bis editus, rarissime occurrit. Una editio facta est *Parisiis* 1526. forma max. h. c. „Annotationum libri duo Natalis Bedae, Doct. Theologi Parisiensis in Iacobum Fabrum Stapulensem et in Desiderium Erasmus liber unus,, (e prelo Iodoci Badii s. Ascensiano), teste RICHARD O SIMONE (*Critique de la bibliothèque de Mr. du Pin*, Tom. II. p. 15. seq.) Altera est in libris meis, hac inscriptione: „Annotatt. Natalis Bede, Doct. Theologi Parisiensis in Iac. Fabr. St. libri duo, et in Des. Er. Rot. liber unus, qui ordine tertius est,, quaternis,, quae constat, praeter tres plagulas praefationis et tabulae alphabeticae rerum, foliis 292, in quorum postremo reperitur formula: „Coloniae ex officina literaria honesti civis Petri Quentell, anno virginici partus M. D. XXVI. pridie Kalenn. Septembres.,, Liber contra Erasumum incipit fol. 234. Effecerat editum Francisci regis, ne Bedae censura venderetur, ut liber clam distractus non nisi in hostium manibus versaretur, ac in Germaniam et Angliam deportaretur, ut ait Erasmus epist. 1060. p. 1209. Nec ea de causa mirum est, quod eodem anno Coloniae repeteretur; erant quidem Colonienses Theologi similissimi Parisiensem, et utrique in Reuchlino exagitando coniuncti, id quod nec Erasmus neglexit observare in *Respons. ad notul. Bedd. I. c.* p. 576.

N. Beddae censuras erroneous Elenchum, et Supputationem ipsam errorum in censuris Beddae, eiusdem propemodum argumenti, paullo asperius quoque, ut graviter accusationibus offendum agnoscas (z). Istis, quas dixi, querelis movit Franciscum, Regem, ut Bedam cohiberet, hoc est vetaret, ne eius liber adversus Erasmus propagaretur. Neque tamen frigidiore Regis edicto impedita, sed aucta potius fuit cupiditas adversariorum Erasmi clam propagandi libri, eiusque in Angliam Germaniamque transferendi, vbi paullo post formis typographi Coloniensis restauratus fuit. (a) Et vero etiam maiora sunt ausi. Nam cum Bedae ceterorumque pertinacissimo in Erasmus odio, et Regis in censuram Beddaicam severitate, inflammati essent quidam de Fabri Erasmique amicis, ut ingentem numerum errorum in Bedae libris repertorum luci publicae exponere minarentut, atque eorum summam duodecim propositionibus comprehensam latino et francogallico idiomate edidissent: adierunt Parisiensis Universitatis Professores d. 1. Maii Anni MDXXVII. ea in causa Regem, qui d. 9. Iulii respondit: Fabro et Erasmo iniuriam fieri, non esse ex eorum libris articulos a Beda satis bona fide excerptos, ceterum se velle, ut libellus duodecim articulorum ab omnibus Facultatibus Nationibusque scholae Parisiensis examinaretur, atque omnis discussa causa deinde ad fese re-

c 3

(z) Exstant omnes Tomo IX. Opp. Erasmi.

(a) Interdicti regii mentionem facit Erasmus epist. §59 et 1060, p. 1209, itemque Apologg. p. 576.



ferretur (b). Sed re pluribus mensibus deliberata, primo incertum deinde funestum exitum habuit. Universitas quidem caussam tradidit Theologorum Collegio, quod d. 16 Decembr. Determinationem de quibusdam propositionibus iam mense Iulio A. MDXXVI e *Paraphrasibus* Erasmi in eiusque adversus Beddam *Elencho* excerptis, nescio quo euentu? edidit (c). Erasmus variis epistolis frustra Sorbonistas admonuit, ut prius *Supputationes* a se contra Bedam scriptas legerent, frustra quoque Senatum Parisiensem, ut missas a se responsiones ad articulos in Sorbona periclitantes conferret ac Bedae silentium imperaret, frustra denique Ioannem Lotharingiae Cardinalem, ut simile mandatum a Regé sua sionibus extorqueret (d). Nihil effectum est. Berquinus, qui emancipatus Regis clementia iam medio anno MDXXVI. e carcere et quasi victoria elatus, Bedam omninoque Theologos Parisienses impietatis reos apud Regem, vehementer dissuadente Erasmo, peregerat, efficeratque ut Rex obiectam Bedae impietatem aut omnium Theologorum suffragiis damnari, aut comprobari sacrarum scripturarum testimoniiis iuberet, tandem imprudentia sua periit, et aduersariorum insatiabili furore, incertum quo modo, publica sententia flammis est traditus d. 9 Maii A. MDXXVIIIL (e) Beda, mense Octobris A.

(b) Lege Bedam haec narrantem in *Apologia*, quam edidit ARGENTARIUS I. c. Tom. III. P. II. p. 4. sqq., Erasmus *Apologg.* p. 577. et Epist. 894. p. 1014, BULAEUM I. c. p. 199, sqq.

(c) Apud ARGENTARIUM, Tom. II. pag. 53. seq.

(d) V. Erasmi ep. 907. 910. 903 et 911, omnes mense Novembri A. 1527. scriptas, eiusque Elenchum in principio.

(e) De actis Berquini eorumque exitu lugubri copiose Erasmus ep. 1060.



pserat autem Beda, ut ipse in operis praefatione profitetur, librum eo consilio, ut a re Christiana periculum, a sacratum literarum Professoribus ignominiam averteret, quod vtrumque afferrent *Humanistae Theologizantes et Graezizantes*, existimans, *a prava Lutheri doctrina penitus repurgari Christianitatem non posse*, dum in ea istorum scripta, in his Erasmi Paraphrases, tolerentur. Has Paraphrases, non Erasmi annotationes in N. Test., nec novam sacrorum textuum traductionem, nec responsiones Leo Stunicaeque paratas, excutere voluerat et atro calculo notare, cum plurium manibus tererentur, et audivisset esse, qui harum *Paraphrasum in vernaculam linguam pro illiteratis versionem adornarent* (u). Quibus verbis Berquinum videlicet pungit. Namque is Paraphrases et aliquot alias Erasmi libellos ad edendum paraverat, quos ipsos ab eo versos abstulerant, apud Senatum et Pontificis M. delegatos Berquinum accusauerant, denique iterum mense Maio coniecerant in carcerem, forte et neci dedissent, ne deterriti quidem matris Regis admonitione, ut Regis redditum exspectarent, nisi Rex ipse, cum rediisset atque cognovisset acta, inhibuisset quaestionem, seque ipsum Berquini caussam cognitum promisisset (x).

Non tulit hanc iniuriam Erasmus, sed cum se impietatis publice accusatum, nec quae privatim ad fa-

c 2

(u) Praefat. ad librum III. Censuræ fol. 234.

(x) V. Erasmi epist. 823. et 862. itemque Berquini in App. epp. 335.



mam innocentiamque suam defendendam ad Bedam et Theologorum Parisiensium Collegium scripsisset, admissum intellexisset, pluribus praeter ea libris Luteia, in his, *Sutoris* furore, ignominiosissimisque obscurorum hominum libellis, laceggeretur, fuisset etiam eodem, quo Sorbonistae Bedae censuram probassent, die *Colloquiorum familiarium Erasmi* lectio studiosis adolescentibus ab hoc Theologorum Collegio interdicta, ad Senatumque supremum magna vis improborum huius libri locorum delata: primum questus est Erasmus literis d. 14 Iunii ad illum Senatum, ac die 16 ad Franciscum Regem missis, rogavitque ut prohiberent, quo minus spargerentur ista venena, aut finerent, ut invehementur Erasmi antidota, itemque petiit a Rege, ut Berquino propter versos a se Erasmi libros periclitanti succurreret (y). Deinde, ut calumnias deppelleret, plura eodem fere tempore adversus Bedam scripsit, ut: *Prologum supputationis errorum in censoris Beddae, Divinationes ad notata per Beddam, in*

(y) Querelarum huius modi plenae sunt Erasmi Apologiae in hac causa, Epist. 824. ad Senatum Parliamentarem, Epist. 826. ad Franciscum, Regem, Ep. 848. et aliae. Determinatio Facultatis S. Theolog. in acad. Parisi. super familiaribus colloq. Erasmi data d. 16. Maii 1526. exstat inter Apologiae Erasmi Opp. T. IX. p. 753. itemque apud ARGENTARIUM l. c. Tom. II. p. 47. sq. cum scripto francogallico ad Senatum Paris. et indice locorum e Colloquiis Erasmi, quae occasionem accusationi dedere. Iste liber plurimum auctus, ut in Determinatione dicitur, est Editio *Colloquiorum* excudente Simone Collinaeo facta Paris. 1526. sedenis; quod quidem colligo ex Erasmi epist. 894. pag. 1014. Eandem cum Erasmus Epist. 1031. d. 21. Mart. 1529. narret, instigante Beda, ab Universitat. Paris. Rectore interdictam scholasticis fuisse, haud dubie istud decre- tum novum intelligit, quod datum circa extremam partem Iulii A. 1528. Argentarius exhibet l. c. p. 52.

concitavit monachorum, Dominicanorum et Franciscanorum, furores, ut et consilium Hispanice vertendi Paraphrases Erasmicas abiicerent ii, qui talem interpretationem meditarentur, et ne Caesaris quidem et Episcoporum auctoritas satis cohibere rabiosos tumultus posset. Longa tragoedia fuit, et exscribendae essent Erasmi Epistolae quam plures, si eam narrare integrum vellem (1). Moverunt isti tumultus Erasmus, ut ederet *Apologiam adversus articulos aliquot per monachos quosdam in Hispania exhibitos*, ad Alphons. Mauricum, Archiepiscopum Hispalensem, Basileae 1529. octonis.

Neque furores adversariorum Erasmi adversus eius Paraphrases eius morte extincti fuere. Namque cum Parisienses Theologi A. MDLI. ederent Catalogum librorum ab A. 1544—51 censura notatorum (m) etiam Paraphrases Erasmi N. T. cum aliis eius libris proscripti fuere; quod item factum a Collegio Theologorum Louaniensium A. MDLVII. (n), atque in indice librorum prohibitorum Hispan. Romano, in quo memini interdici lectionem Paraphraseon Erasmi, nisi ante fuerint a Parisiensibus et Louaniensibus Theologis castigati.

Antequam bellum, quod descripsimus, super ipsis Paraphrasibus oriretur, aliquoties scripsit Erasmus, eas omnibus probari, praeter Lutherum et qui eius doctrinamque odiumque in Erasmus, eius per Diatriben

(1) Vide Erasmi Epp. 907. 909. 954. 1006. &c. in primisque ep. 910. Append. epp. 338. 340. 469. De consilio Hispanicae versionis Paraphraseon adde epist. 862. 917. 941. 1050.

(m) Quem ARGENTARIUS edidit l.c. Tomo II. p. 164. seqq. p. 169. Paraphrasis damnatur.

(n) V. ARGENTARIUM, Tom. III. p. 99.



de libero arbitrio excitatum, sequerentur. Eius odii plenae sunt *Epistolae D. Nic. Amsdorfi et D. Mart. Lutheri de Erasmo Roter. Witebergae 1534 octonis*, vbi (plag. A. 6. a) Lutherus Paraphrases istas *paraphrasis* appellat, quamquam et ipsum Erasmus memini idem illud nomen ioco tribuere Paraphrasibus suis.

Sed vicissim reperti sunt quamplurimi, qui et aequius optimeque de Paraphrasibus Erasmicis sentent, et curarent ut latius propagatae diligenter commendarentur sacrarum literarum studiosis. De consilio earum in Gallicam et Hispanicam linguam transferendarum diximus supra. *Alemannica dialecto Paraphrases in epistolas Paulli omnes, quae sine dubitatione Apostolo tribuuntur, Leo Iuda, sacerdos Einsidensis reddidit* (o). In Anglia ipsa Maria, Henri-

(o) Sunt mihi ad manus hae, omnes quaternis editae: Paraphrases zu tutsch. Die Epistel sancti Pauli zu den Galatern, In Latin durch Doctor Erasmus von Noterdam kürzlich beschrieben und klarlich vßgelegt, durch meister Leonem Jud, Pfarrherren zu Eynsidlen, genzlich dem Latin nach vertutscht. „Ad calcem sunt verba: „Getruckt zu Zürich durch Christophorum Groschouer, im Jar nach Christi Geburt do man zalt M. D. XXII. „—„ Die Epistel sancti Pauli zu den Ephesern, durch den Hochgelehrten Erasmus : : getutscht durch meister Leo Jud Lüepriester zu Eynsidlen „in calce cum urbis et typographi nomine annus 1521. — „Die Ep. P. zu den Philippensern „rc. (1521) — „Die Ep. P. zu den Colossensern rc. eiusdem anni. — „D. Ep. P. & d. Thessalonicensern rc. sine mentione anni in titulo aut calice. — „Diss sind die zwo Epistlen sancti Pauli die er geschrieben hatt zum Timotheo, durch Erasmus : : Eynsidlen. Getruckt zu Zürich durch Christ. Groschouer M. D. XXI., — „Epistel sancti Pauli zum Tito durch : : Eynsidlen rc. In calce sine mentione typographi nomen urbis Tigurini — „Ep. f. P. zu Philemon durch — Einsidlen. In calce eadem urbs et annus 1521. commemoratur, non typographus. In his omnibus nihil de suo addidit interpres praeter argumentum cuiuslibet capituli. HARDTIUS l. c. p. 72. recenset titulum Epistoliarum ad Romanos, Corinthios et Galatas coniunctim editorum Tiguri a 1522. quaternis.

MDXXVIII. edidit *Apologiam adversus clandestinos Lutheranos*, cui satis fecit Erasmus *Responsione ad notulas Biddaicas* (f), ut *Declarationibus ad censuras Lutetiae vulgatas sub nomine Facultatis Theologiae Parisiensis illi Determinationi*, quam diximus, Collegii Theologorum (g). Praetermitto cetera, quae quasi nata sunt ex his controversiis, veluti de Bedae furore in novi Collegii Professores ac Regem ipsum, a quo tandem ex vrbe excedere iussus est; sed haec non sunt huius loci.

Venit in societatem horum tumultuum adversus Erasmi Paraphrases et certaminis quasi signum dedit Petrus quidam Sutor, qui a Collegio Sorbonistarum transferat ad ordinem Carthusianorum. Is edidit sub initium anni MDXXV. librum, infictia maledicentiae inter paucos insignem, ac verius centonem e Stunicae, Latomi Leique adversus Erasmus libellis, quo cum bonis literis versionem, annotationes et Paraphrases Erasmicas infamaret apud imperitos. Factum hoc

c 4

(f) Hanc responsonem ad illam *Apologiam* referri, vel utriusque collatio docet. *Apologia Bedae* ubi exstet, iam dictum est; ei adiunctae sunt censurae propositionum ex utroque latino et gallico libello adversariorum Bedae, itemque ex Erasmi Elencho et Supputationibus descriptarum.

(g) Haec Determinatio iam scripta A. 1527. d. 16. Decembr, ut est apud ARGENTARIUM [Vide supra not. c.] videtur prodiisse An. 1532; certe principio eius anni commemorat istam Erasmus App. epist. 364. Eodem anno emisit *Declarationes* suas ex officina Frobeniana, odonis. Apud HARDTIUM l. c. T. III. p. 217. dicuntur *Declarationes* vigilanter recognitae per autorem et audiae Basileac 1532. 8.



consentiente et approbante Theologorum Parisiensium Collegio, ut quidem iactabat libri praefatio, quamquam vel ipse Beda hominem revocaverat a calami intemperantia, cum eius impudentiam videret ipsi Sorbonae, e qua Sutor prodiiisset, dedecori futuram: (h) Erasmus, et si se nihil stultius aut rabiosius legisse fateretur, tamen incitante amico scripsit *Apologiam adversus debacchationes Petri Sutoris*, Basileae MDXXV octonis, eamque dicavit *Ioanni Selvae*, summo senatus Parisiensis praesidi, cuius auctoritate optabat tueri studiorum caussam et Sutoris iniquitatem moderari (i). Sutor opposuit sequente anno *Antapologiam* adeo scurrilem et rabiosam, ut in priore libro probus ac sobrius videri queat. Sed cum Erasmus saepius poenituisse, tempus et operam in tali scriptore refutando perdidisse, satis habuit scripsisse praefecto Cartusiae magnae, ut hominem compesceret ordinisque honori prospiceret, emisitque Basileae eodem anno cum *Prologo in supputationem calumniarum Nat. Beddae*, *Appendicem quoque de Antapologia Petri Sutoris* (k).

Parisiensi incendio oleum, quod aiunt, addidit *Eduardus Leus*, in aula Hispanensi tum legatus Angliae Regis. Is cum alias adversus Novum Erasmi Testamentum scripsisset, effetque Erasmi responsione vehementer ad vlciscendum inflammatus, non modo magis incendit Parisiensium animos contra Erasmum, sed edidit etiam novum in Hispania librum, quo ita

(h) Vide; praeter Erasmi *Apologias adversus Sutorem*, Epist. 741. 746. 757. 768. 805.

(i) V. Erasmi epist. 786 et 754.

(k) V. Epist. 805. Prologum cum Appendice commemorat HARDBRITIUS l. c. p. 145. Exstant etiam inter ceteras Erasmi *Apologias*.



ci Regis filia, posthaec Regina, vivo adhuc Patre, cui cupiebat hac opera placere, coepit Anglice transferre Erasmi Paraphrasin in *Ioannis Evangelium*, excitata per Catharinam (Parrs) Reginam, sed morbo impedita non perfecit, itaque adhibitus est ad opus absolvendum *Maletus*, reginæ Cappellanus. Addidit deinde *Johannes Oldus*, Theol. Doct. et ab anno 1552 Praebendarius Ecclesiae Herfordensis, Paraphrasin *epistoliarum canonicarum*, eamque edidit A. MDXLVIII., itemque eam in epist. ad *Ephes. Philipp. Timoth.* et *Philemonem*; tum *Leonardus Coxus*, Iudi Magister illam in epist. ad *Titum*; porro *Edmundus Allenus*, verbi divini minister, Evangel. *Matthaei*, *Acta App.* epistolasque ad *Romanos*, *Corinthios*, et *Colossenses*; denique *Udalus Lucae* Evangelium. *Marci* Evangelium cum illo *Ioannis Mariae*, Reginae, diligentia elaboratum videtur. Universae Paraphrases in unum corpus coniunctae fuere, addita *Apolalypsi ex interpretatione Leonis Judae*, et formis exscriptae bis, regnante Eduardo, primum a. 1547. quoad historicos N. T. libros et 1549. quoad ceteros, deinde 1552. (p). Utriusque editionis curandæ occasionem dederat *Thomae Cranmeri* consilium, Regis auctoritate adiutum, iniungendi omnibus Ecclesiis Anglicanis, ut in usum sacerdotum sibi compararent Erasmi Paraphrases in Nov. Testam. (q).

Haec fere sunt, AUGUSTINE CARISSIME, quae, TE ita volente, de Paraphrasibus Erasmicis di-

(p) Haec omnia copiosius persequitur *Io. STRYPIUS* (*Ecclesiastical Memorials of King Edward VI.* Tom. I. p. 29. seq.

(q) *V. The history of the Reformation of the Church of England - - by GILB. BURNET*, Part. III. p. 187. et *Strypii Memorials of Th. Cranmer*, p. 148.



cenda putavi. In quibus si videar quibusdam parcum dixisse, desertum me putent fuisse idoneis testibus ac monumentis, sin iusto copiosius, diligentiam tamen non vereor ne contemnant; effecisse equidem arbitror, ut non opus sit posthaec aliis, eundem profecto haud leuen operam suscipere. Vale. Scripsi d. III. Octobi A. MDCCCLXXVIII.

(*) Editionibus Paraphraseon Erasmi a V. V. NOESSELT enarratis, praeter Antverpiensem anni MDXLI. octonis apud Io. Steelsium et alias Antverpiae MDLXVIII. tomis II. eadem forma excusam, hic addendum licet Parisiensem Tomis III. sedenis nitido et hic ibi rubro charactere descriptam, paucissimisque visam. Tomi secundi fol. 291., que tantum oculis lustrare contigit, titulus est: „Paraphrasis in Epistolis Pauli ad Philipp. - - - Philem. Item in catholicas - Petri - Hebraeos unam, per Eraf. Rote. Lutetie A.D. MDXXIII. „ In fine fol. 290. est epistola dedicatoria impressoris Petri Vidovaei ad Petrum Danesum, in qua summis laudibus ornat Erasmus eumque unum esse omnium dicit, qui puriores ac christiano homine digniores literas, sorbonicis iam dudum naeniis corruptas infectasque, nisi pristinum suum nitorem restituerit, simulque addit, „Quum audirem hoc opus ab optimo quoque vehementer probari et passim a omnibus desiderari, nolui deesse bonarum artium studiosis, hortans maxime Gilb. Ducherio, utriusque nostrum Amantissimo, ut ea Paraphrases typis minutioribus in enchyridii formam excuderem. Ad cinxii igitur me ad opus tam insigne et tribus enchyridiis rem totam absolui; unum Conrado, tibi alterum, tertium in Matthei s. evangeliū Ducherio dicans. „ Pagina sequenti leguntur haec: *Conradus Resch* Pio lectori S. D. Thesaurum haud quaquam vulgarem tibi lector exhibemus hoc volumine, Paraphrases in - - Quisquis amas philosophiam christianam, hoc volumen in deliciis habeto. Nam multi plus adfert lucis, minusque taedii, quam aliorum verbosius commentari. Vale. Ex officina nostra Parisiaca. „ Folio denique 291. adiecta sunt verba: „*Lutetiae* typis ac characteribus Petri Vidovaei impressoris peritissimi, ere ac impendio Conradi Resch, sub scuto Balliensi, via ad divum Iacobum MDXXIII. „ (cum impressoris signo Fortunae imaginem exhibente.) Haec ad paginam XXXII. historiū harum paraphraseon notanda esse existimat *Editor.*



S. D. N. PONTIFICI VERE SUMMO
CLEMENTI EIUS NOMINIS SEPTIMO
ERASMUS ROTERODAMUS

S. D.

Simul et mihi scribebatur, et typographis excudebatur paraphrasis in librum, cui titulus acta apostolorum, beatissime pater, extremus labor, quem in hoc scripti genere statuimus sumere. Quo quidem in opere non sine moerore quodam animi nostri versabamur, nimurum hunc turbulentissimum et corruptissimum ecclesiae statum cum ea forma conferentes, quam nobis in hoc libro mite depinxit Lucas. Eum dolorem auxit nuntiata mors Adriani sexti, cuius erudita pietas nobis nonnullam spem iniecerat, futurum ut per eum res collapsae restituerentur. Nam Leonem decimum praematura mors invidit orbi. Quamquam de Adriano mihi semper præfigierat animus, nos in parietem caducum inclinare, quod aetas illius ac valetudo non videretur tantis rerum motibus suffectura. At mox recrearunt animum nostrum Cardinalium quorundam, ac virorum eruditorum literae, nuntiantes, Clementem septimum ad rerum humanarum apicem evectum esse, simulque depingentes nobis raras pla-

Tom. III.

A



neque heroicas naturae tuae dotes, tanto rerum fastigio tum dignas, tum pares. Mihi protinus arrisit Clementis adjicitum nomen, cui tuos mores praedicant admodum congruere. Sed in primis laetissimum omen mihi visum est gentilitium Medicis cognomen, quo vix aliud orbi vel notius, vel gratiostius. Morbi graves ac deplorati insignem aliquem ac fatalem poscunt medicum. Nullus autem periculosior, quam quem aegrotus utraque sui parte laborat, corpore nimirum et animo. An non mundus tali quodam malo nunc teneri videtur? Hi tam exitiales, tam implacabiles, tam diutini, tam immedicabiles monacharum inter ipsos tumultus, an non videtur gravissimus quidam totius corporis morbus? Quam enim orbis partem videmus immunem ab huius mali contagio? Sed hoc etiam perniciosior est lues haec, quam miris ac pertinacibus opinionum dissidiis corripuit animos omnium. Bellorum tumultus iam gliscentes magno conatu studuit componere invictissimus Angliae rex Henricus, eius nominis octavus. Nihil actum est. Idem conatus est Adrianus noster. Frustra laboratum est. Porro dissensio opinionum, quam velut mentis morbus est, quid a quibus non tentatum est, ut componeretur? Et hactenus frustra laboratum, semper incrudecente malo. Nunc ad novum Medicen, velut ad quemdam ἀπὸ μηχανῆς θεόν, summam inspem eriguntur omnium animi. Atque utinam promereamur, ut hanc spem Christiani populi, Deus nos lit irritam esse. Certe multa sunt auguria, quae nostris votis abdandiuntur, pollicenturque nobis hic in primis verum fore illud Homericum: Ἐγέρεις γὰς εἰναι



πολλῶν ἀνταρέζει τὸν αὐτῶν. Praestantius enim est mederi malis, quam compescere. Quoties enim horum temporum imaginem contemplor, protinus succurrit animo carmen Maronis :

*Ac veluti magno in populo, cum saepe coorta est
Seditio, saevitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat.*

Nisi quod exitiabilior est seditio, quae non unius est turbis, sed totius orbis; nec ignobilis vulgi, sed omnium prorsus ordinum. Rursus ubi Clementem Medicen intueor ex illa fatali familia, rerum gubernaculis admotum, felix omen habere videtur, quod apud eundem poëtam sequitur:

*Tum pietate grayem, ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.*

*Ille regit diuersis animos et pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam
Prospiciens genitor, caeloque invectus aperto
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.*

*Quamquam igitur hoc laboris, quod erat praemani-
bus, decreveram alteri dicare, viro secundum Pon-
tificiam dignitatem maximo, tamen acceptis e Roma
literis, quae te nobis velut in tabula depingebant, si-*



4 EPISTOLA.

mul et illud adiicientes, quam non vulgarem favorem,
et in Erasmus tua sanctitas oratione sua declarasset,
cui si pares esse non licebit, certe dabimus operam, ut
sedulo videamur esse conati: vertimus sententiam, ac
novum opus novo pontifici maluimus esse consecra-
tum. Iam et illa congruere videbantur, ut Lucas me-
dicus iret ad Medicen, tum ut nascentis ecclesiae pri-
mordia commendarentur illi, per quem speramus fu-
turum, ut ecclesia collapsa renascatur. Quemadmo-
dum autem tum rebellante mundo, nihilo secius inva-
lescebat ecclesiae regnum, videlicet Christo prosperan-
te, quod per ecclesiae suae proceres gerebatur, ita non
solum optamus, verum etiam confidimus, Christi favo-
rem tuis sanctis conatibus non defuturum. Cuius cle-
mentia Clementem nobis diu servet incolunem. Basili-
ae prid. Cal. Febr. Anno a Christo nato MD XXIV.

PER-



PEREGRINATIO APOSTOLORUM
 PETRI ET PAULI
 CUM RATIONE TEMPORUM
 PER
 ERASMUM ROTERODAMUM.

EX actis apostolicis non liquet Petrum frequenter
 commutasse locum, nisi quod post mortem Stephani
 profectus est una cum collega Ioanne, in Samariam
 civitatem, cui post versum nomen Sebaste, unde et
 tota regio Samaria dicta est, ut comprobaret auctorita-
 tate sua perficeretque, quod illic per Philippum diaco-
 num coeptum erat. Deinde videtur plerasque Sama-
 riae partes peragrasse. Sic enim legimus Cap. VIII.
Et multis regionibus Samaritanorum evangelizabaat.
 Est autem Samaria media inter Iudeam et Galilaeam.
 Porro nonum caput testatur illum peragrasse varias
 Palaestinae regiones, antequam veniret Lyddam et Iop-
 pen. Sic enim habet: *Factum est autem, ut Petrus*
dum transiret universos, deveniret ad sanctos, qui ha-
bitabant Lyddae. Est enim Lydda in Palaestina, non
 procul a Ioppe civitate littorali. Rursus a Ioppe pro-
 fectus legitur ad Caesaream Palaestinae maritimam,
 quae prius dicta fuerat turris Stratonis. Hic baptiza-
 vit Cornelium centurionem. Hinc reversus est Hiero-
 polymam. Caeterum quando profectus fit Antiochiam,

A 3



ubi praeseditte creditur, aut quando se Romam trans-
tulerit, quasque regiones peragrarit, quoniam huma-
nis duntaxat historiis proditum est, non laborabo per-
sequi. Nam **EUSEBIUS**, qui putat illum praedicasse
evangelium apud Ponticos, Galatas, Cappadoces, Afri-
aticos, Bithynos, non aliunde summis conjecturam, nisi
quod harum gentium meminit in priore epistola. Con-
veniebat autem, ut apostolorum praecipius annos com-
plures federet in ea civitate, unde dominus Iesus volue-
rat evangelicam doctrinam, primum in omnes Judaeae
regiones, mox in universum orbem propagari. Iam
quod tradit historia, quam vocant ecclesiasticam, pri-
mariam rerum curam a Christo traditam Petro, Iaco-
bo et Ioanni, id inde colligunt, quod horum aliquor-
um nominatim fit mentio, quum de caeteris nihil nar-
retur, quid dixerint aut fecerint, nisi quod adstabant
Petro dicenti tanquam testes. Erant autem Iacobi duo,
unus Zebedaei filius, frater Ioannis. Hunc interfecit
Herodes, atque hoc ipsum arguit, eum fuisse inter apo-
stolos praecipuum. Alter Alphaei filius. Crebra men-
tio fit in actis tertii Iacobi, qui dictus est frater domi-
ni, cognomento Iustus, filius, ut opinatur **HIERONY-
MUS**, Mariae, quae fuerit soror matris domini. Huic
Iacobo tribuunt epistolam, quae legitur inter catholi-
cas. Qui quum non esset de numero duodecim apo-
stolorum, tamen hunc statim a morte Christi apostoli
designarunt episcopum Hierosolymitanum, qui postea-
quam Paulus appellasset Caesarem, e templi fastigio
praecipitatus est, atque inter lapidandum fullonis fuste
percussus, interiit. Hunc Hierosolymis (*) negat

(*) Legendum videtur, *Hieronymus*.



fuisse de numero apostolorum duodecim. Et tamen quanta fuerit huius auctoritas vel illud declarat, quod quum in concilio tractaretur de gentibus non onerandis lege mosaica, post Petrum cum auctoritate pronunciat sententiam, ἵνα κεῖται, inquiens. Hic idem post Paulo fuit auctor, ut adiungeret sibi quatuor, qui voto se adstrinxerant, cumque his ritu iudaico purificaretur in templo, cuius consilio Paulus obtemperavit. Quin etiam urbem ingressus hunc primum salutavit, tanquam illic primas tenentem. Et in epistola ad Galatas hunc ceu praecipuum nominat. *Aliorum, inquit, apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem domini.* Caeterum Petrum Antiochiae fuisse declarat in eadem epistola narrans, quemadmodum illum reprehenderit ob simulationem. Iam DIONYSIUS apud EUSEBIUM, Corinthiorum episcopus, scriptor pervetustus, literis prodidit, Petrum et Paulum Romae iussu Neronis eodem die martyrii palmam promeruisse. Caeterum Petrum inter praecipuos etiam primatem fuisse declarat, quod apud evangelistas omnes, atque etiam in actis, in catalogo duodecim semper primo loco recensetur. Deinde quod initio fere primus fuit ad dicendum. Nam et ante missum spiritum sanctum, congregatis in coenaculo discipulis, proponit de subrogando quopiam in locum Judae. Rursus ubi tumultus esset in populo ob linguarum miraculum, Petrus solus auspiciatur concionem evangelicam. Primus omnium miraculum edit in nomine Iesu, pro templi foribus sanato claudio. Ac mox hac de causa concursu facto in porticu Solomonis, Petrus concionatur apud populum. Ubi videtur et Ioannes Petri comes aliquid dixisse,

A 4



quod non refertur. Sic enim ait Lucas: *Loquentibus autem illis ad populum, nisi placet accipere utrumque dixisse*, quod Petrus utriusque nomine dixit. Similis enim locus mox sequitur in eodem Cap. III. *Petrus vero et Ioannes respondentes dixerunt ad eos.* Rursus Cap. IV. *Respondens autem Petrus et apostoli dixerunt*, quod Petrus omnium voce loqueretur. Rursum quum ageret de creandis diaconis, Petrus verba facit solus. Solus pronunciavit sententiam in Ananiam. Quin et illud arguit Petri dignitatem inter apostolos, quod primus ductus est in carcerem, ac virgis caesus, quamquam ex narratione Lucae videntur omnes apostoli, simul cum Petro, iam iterum coniecto in carcerem, virgis caesi. Nunc de Paulo dicamus, qui veluti strenuus dux per omnes terras mariaque volitavit, ut omnes gentes redigeret sub iugum Christi. Primum Hierosolymis profectus est Damascum. Ea est civitas Syrophoenices, quae quondam Arabiae deputabatur, ut auctor est TERTULLIANUS adversus Marcionem lib. III. totius Syriae caput, inter Libanum et Antilibanum sita. Hic baptizatus est Paulus, et evangelii praedicationem auspicatus. Verum hinc clam profugiens utrum abierit in Arabiam, et inde reversus sit Damascum, ac post annos tres demum redierit Hierosolymam, ut videret Petrum, quemadmodum ipse refert in epistola ad Galatas, an statim se receperit Hierosolymam, non satis liquet ex actis. Imo ne hoc quidem, utrum in prima praedicatione periclitatus sit ob infidias praefecti an secunda. Ex narratione Lucae videtur statim, ut fugisset Damasco, se recepisse Hierosolymam, quoniam qui paulo ante profectus fuerat hostili animo in disci-

pulos, noluerunt in consortium suum recipere. Quod si tot annis praedicasset, fieri vix potuisset, quin rumore cognovissent eum fuisse mutatum. Rursus Hierosolymis profugus deductus est Caesaream Philippi, ea est Phoenices ad radicem Libani montis, ubi sunt fontes Iordanis. A Caesarea dimissus est Tarsum. Ea metropolis est Ciliciae, Pauli patria, quam interfluit amnis Cydnus. A Tarso per Barnabam reductus est Antiochiam Phoenices metropolim, unde et regioni nomen, quae proxima est Ciliciae. Hinc profectus est denuo Hierosolymam, ut exhiberet collectam pecuniam in subsidium pauperum. Quo facto reversus est Antiochiam, unde venerat. Hic donatus apostolico nomine, profectus est Seleuciam. Ea est in promontorio Antiochiae Syriae, obvia volenti ab Antiochiae civitate proficiisci in Cyprum. E Seleucia solvit in Cyprum insulam oppositam Ciliciae, quae est Afiae minoris. Appulit autem Salaminem, quae civitas Cypri prima occurrit ad orientem, et pervenit Paphum, quae est extrema ad occidentem, ut intelligamus totam eam insulam peragrataam. Ubi quidam putant illi pro Sa-
lo, commutatum Pauli nomen a Sergio Paulo eius insulae proconsule, quum magis conveniat, ut parentes ac patroni liberis ac libertis sua impartiant nomina, quam ut ab illis mutuentur. A Papho solvens appulit Pergen. Ea civitas est Pamphyliae. Hinc Antiochiam Pisidia. Hinc Iconium, mox Lystra, quae est civitas Lycaoniae. Hic autem tum lapidatus est Paulus. A Lystris profectus est Derben, quae et ipsa Lycaoniae est. Hinc remensus iter quo venerat, rever-
sus est Lystra, Iconium et Antiochiam Pisidia, quo

A 5



quod coeptum erat confirmaret. Atque item pera-
grata reliqua Pisidia, redierunt in Pamphyliam, usque
ad Pergen, ad quam primum appulerant e Cypro.
Hinc Attaliam. Ea civitas est maritima Pamphyliae,
ex qua scribae fecerant Italiam. Attalia solventes, na-
vigarunt Antiochiam Syriae, unde primum hoc iter
fuerat auspicatus. Hinc rursus Hierosolymam itum
est, ut caeteris apostolis probaret, quae gesserat in
Asia minore, sed interim praedicans evangelium in
Phoenice et Samaria, per quas erat iter. Eo peracto
reversus est Antiochiam, unde venerat. Hic seiuunctus
a Barnaba, peragravit Syriam, ac mox Ciliciam. In-
de iterum revisit Derben ac Lystra, ubi circumcidit
Timotheum. A Lystris fecit iter per Phrygiam et Ga-
latiam. Hinc ventum est in Mysiam, mox Troadem.
Atque hic nonnullus scrupulus occurrit. Etenim si sen-
tit de Phrygia, in qua est Troas, a Lycaonia prior
occurrit Galatia, quam Phrygia. Et tamen Lucas cap.
XVI. sic refert: *Transiunt autem Phrygiam et Ga-
latiae regionem, yetiti sunt a spiritu sancto loqui ver-
bum in Asia.* Rursum incertum est, an Asia hic acci-
piatur pro illa minoris Afiae parte, quae simpliciter
Asia dicitur, an de tota Asia minore, in qua iam mul-
tis locis praedicaverat. Siquidem Galatia sita ad
septentrionem, h. e. ad pontum Euxinum, ad orien-
tem habet Cappadociam, ad occidentem Bithyniam,
ad austrum Pisidię et Lycaoniam. Quamquam hic
PTOLOMAEUS ponit alteram quamdam Phrygiam ver-
gentem ad occidentem. Porro Mysia maior proxima
est Afiae, sic proprie dictae. Mysia minor est supra
Phrygiam. Potest igitur sic explicari scrupulus, ut in



his duobus vocabulis Phrygiam et Galatiam fit ordo
praeposterus, er intelligamus illum e Lycaonia recta
pervenisse in Galatiam, hinc in Phrygiam, ex Phry-
gia voluisse petere Asiam proprie dictam, ni vetuisset
spiritus. Adhaeret autem haec Asiae pars Phrygiae ad
orientem et austrum. Itaque Paulum vetitum huc ire,
flexisse iter ad Mysiam maiorem, ni fallor, per quam
iter est in Bithyniam, quae quondam Bebrycia dicta est
et Mygdonia, proxime habens ad septentrionem eam
Asiae partem, quae proprie Pontus dicitur. Rursus
quum huc ire vetaret spiritus, reflexisse iter ad occi-
dentem, ac peragrata Mysia minore redisse per me-
diā Phrygiam usque ad Troadem, quae est in littore
Phrygiae, eadem et Antigonia dicta, opposita Cher-
soneo, unde proximus traiectus est in Europam ex
Asia minore. A Troade solverunt, ac recto cursu
pervenerunt in insulam Samothracen, oppositam Thra-
ciae, quam habet ad septentrionem. Hinc Neapolim.
Ea civitas est in littore, in confinio Macedoniae ac
Thraciae. Hinc Philippos, quam Lucas admonet es-
se civitatem Coloniam in prima parte Macedoniae.
Ad hos scribit unam epistolam Paulus. Hic virgis cae-
sus est, et in carcerem coniectus cum Sila. Post haec
per Amphipolim, quae non longe abest a Strymone
flumine, et Appolloniam, quae Thessalonicae proxi-
ma est, venere Thessalonicanam. Ea civitas metropo-
lis est Macedoniae. Et ad hos Paulus scribit episto-
lam. Et hic orto tumultu clam dimissus est Berrhoea-
m, quam a Thessalonica dirimit Pellā, patria Ale-
xandri M. Hic reperit dociles auditores. Porro Ber-
rhaea non ita procul abest a mari. Itaque tumultu



concitato deductus est ad mare, inde Athenas perven-
tum navgio, ni fallor, propterea quod Lucas memi-
nit illum dimissum, ut iret ad mare. Est et alia con-
jectura, quod quum itera Berrhoea sit longum usque ad
Atticam, nulla fit mentio regionum aut civitatum,
quae pedibus iter facientibus occurrisse. Hic con-
vertit Dionysium, qui an iudex fuerit an philosophus
non satis liquet, quum Lucas tantum illum vocet Are-
opagitam. Opinor autem omnes Areopagitas dictos,
qui partem eam urbis Athenarum inhabitabant. De-
miror autem, cur BEDA faciat hunc Corinthiorum Epi-
scopum, quum apud EUSEBIUM DIONYSIUS quidam,
Corinthiorum episcopus, doceat DIONYSIUM AREO-
PAGITAM Athenis episcopum ab ipso Paulo ordinatum.
Quin probabilius est DIONYSIUM AREOPAGITAM ni-
hil omnino scriptorum reliquisse, quum apud EUSE-
BIUM tam diligenter recensentur libri DIONYSII Co-
rinthiorum episcopi, de Areopagite monumentis nul-
la usquam fiat mentio. Ab Attica venit Corinthum.
Ea est metropolis Achiae. Hinc constituerat naviga-
re in Syriam, et suscepto voto in Cenchreis, is est
portus Corinthiacus ad Asiam minorem spectans, to-
tundit sibi caput. Hinc igitur solvens pervenit Eph-
esum. Ea est in littore Asiae minoris, in parte quae
dicitur Ionia. Hic tum temporis reliquit Priscillam et
Aquilam. Ab Epheso solvens venit Caesaream, dein-
de Antiochiam. BEDA, non dubito quin veterem
quempiam sequutus, vult hanc Caesaream esse Cappa-
dociae, non Syriae, et Graeci nolunt hanc Antiochiam
esse Pisidiae, cuius supra bis meminit. Quamquam
Epheso profectis prior occurrit Pisidia, quam Cappa-



docia. Caeterum graeci codices hoc loco plus habent quam nostri. Nimirum hunc in modum: *Rogantibus autem eis, ut ampliori tempore maneret apud se, non annuit, sed valedixit illis, dicens: Oportet me omnino festum, quod instat, agere Hierosolymis.* Quibus probatur haec lectio, malunt Paulum ab Ephesio littore recta navigasse Caesaream Palaestinae, inde petuisse Hierosolymam, et salutasse fratres, post haec redisse Antiochiam Syriae, atque hinc rursus repetisse Asiam minorem. Facit ad hanc opinionem, quod ita legitur, *descendens Caesaream, adscendit et salutavit ecclesiam.* Ostendit quo descenderit, non indicat quo adscenderit. Atqui in evangelicis literis, qui petunt Hierosolymas adscendere dicuntur, unde coniectant illum e Caesarea Palaestinae adscendisse Hierosolymam, ubi dixerat agendum festum diem, atque hinc rursus descenderit petens Antiochiam. Hanc opinionem, ut probabilem, nos in hac paraphrasi sumus sequuti, celsi facili, si quis adduxerit probabiliorem. Legitur et Antiochiae commoratus aliquamdiu. At in Antiochia Syriae solitus est libenter commorari Paulus. Hinc igitur repetita Asia, peragrat in medio regionibus, in quibus ante docuerat, venit in Galatiam, hinc rursus in Phrygiam, ubique confirmans discipulos. Inde profectus est Ephesum, quum iam Apollos profectus esset Corinthum, terrestrine itinere, an navigatione parum liquet, nisi quod probabilius est illum terra fecisse iter, eo quod Lucas adiicit, *peragrat superioribus partibus.* Hic Paulus proposuerat repetere Hierosolymam, sed prius peragrata Macedonia et Achaia, per spiritum intelligens sibi Romam esse eundum post aditam Hierosolymam. Itaque praemisit Timotheum



et Eraustum in Macedoniam, ipse commoratus aliquamdiu in Asia minore. Post tumultum per Demetrium excitatum sequutus est eos, quos praemiserat. Per agratis autem superioribus partibus, devenit in eam partem, quae proprie dicitur Graecia, in qua est Attica et Achaia. Hic Lucas non nominat Athenas aut Corinthum, sed ex re coniicitur, quod quemadmodum fecerat, ex Attica venerit in Achaiam, in qua est Corinthus, ac rursus e Cenchreis paraverit solvere in Syriam. Sed quoniam fenserat illie paratas insidias navigaturo, vertit consilium, ac remensus iter qua venerat, repetiit Macedoniam, terrestri ut apparet itinere, quoniam navigaturo parabantur insidiae. Quum versaretur itaque in Macedonia, comitum partem, quos tum multos habebat ex Macedonia, praemisit Troadem, quae est in Phrygia. Paulus sequutus, diem paschae egisse videtur Philippis, quod Lucas ita scribat: *Navigavimus post diem azymorum a Philippis.* A Philippis itaque solvit Troadem, quo praecesserant comites, ut diximus. Hic adolescentem ex ruina mortuum restituit. A Troade pervenit Asson itinere pedestri, quo iussu Pauli comites navigio praecesserant. Est autem Assos civitas littoralis, non longe infra Troadem, eadem dicta Apollonia. Asso solventes appulerunt Mytilenen. Ea est civitas Lesbi insulae, obvia ab Asso navigantibus Chium. A Mytilene legentes littora Asiae, eo pervenerunt, ut Chium insulam haberent ad dextram. Chius autem opposita est Clazomenae in littore Asiae, media inter Lesbum et Samum, quo post adnavigarunt. Samus autem opposita est Trogyllo promontorio Asiae. A Samo solventes appulerunt Trogyl-



lium, ut est in graecis codicibus, quamquam Graecus, qui scripsit peregrinationem Pauli, non meminit Trogyllici. A Trogyllio itum est Miletum. Ea est civitas Cariae littoralis. A Chio commode poterant appellare Ephesum, sed data opera praeternavigatum est, ne diutius haereret in Asia. Quum enim Philippis egissent diem paschae, decreverant pentecosten agere Hierosolymis. Itaque posteaquam evocatis Epheso Miletum senioribus, mandasset quae volebat, illinc solventes, recto cursu pervenerunt Coum. Ea est insula inter Samum et Gnidum, civitatem in promonto-rio Asiae. A Coo ventum est ad Rhodum. Ea est insula opposita Lyciae. Iam autem navigantes incipiunt Asiam habere ad septentrionem, quum prius habuerint ad orientem. A Rhodo venerunt Patara. Ea ci-vitas est littoralis Lyciae provinciae. Hic nocti navim, quae recta peteret Phoenicen Syriae, recto cursu coe-perunt eo tendere. Nam relicta ad laevam Cypro In-sula appulerunt Tyrum. Ea est in littore Phoenices infra Sidonem. A Tyro ventum est Ptolemaidem. Et haec est littoralis inter Tyrum et montem Carmelum. Hinc appulerunt Caesaream Palaestinae, ubi di-versatus est apud Philippum. Hinc iam pedestri iti-nere pervenit Hierosolymam, unde iussu tribuni Ly-siae, vincitus deductus est Antipatridem, quae medio occurrit inter Hierosolymam et Caesaream. Hinc per equites ductus est Caesaream Palaestinae, unde iussu Festi praesidis, qui Felici successerat, vincitus deductus est Romam, hoc quidem itinere: Primum impositus navi, a Caesarea pervenit Sidonem, quae, ut dixi-mus, est supra Tyrum. Hinc appulerunt Cyprum, sic ut illam ad laevam relinquenter dispendioso cursu,



sed huc adigebant venti contrarii. Ita praeterlegentes littora Ciliciae et Pamphyliae, pervenerant Myra, quam scribae verterant in Lystram. Ea est in Lycia, non procul a littore. Hinc aegre longaque navigatio-ne eo progressi sunt, ut Gnidum promontorium haberent ad dextram. Sed reflante vento cursum flexerunt ad Cretam, quae illis tum erat ad laevam. Venerunt autem ad portum, cui nomen Salmoni. Opinor autem Lucam usum vocē, qua tum forte vulgus utebatur. Nam arbitror hanc esse, quam PLINIUS et STRABO vocant Sammonium. Hoc Cretae promontorium spectat orientem. Hinc ob ventos adversos aegre praeterlegebant littora Cretae, sic ut insulam haberent ad dextram, donec ventum esset ad locum Cretae, Laseae civitati vicinum, qui dicitur Boni portus, quod nomen apud veteres geographos non invenitur. Apparet eius temporis fuisse vocabulum. Caeterum fuisse ad latus australe Cretae, declarat, quod hinc conabantur tendere ad Phoenicen, id est promontorium Cretae, spectans ad Africum et Chorum. Africus autem flat ab occasu brumali, Chorus ab occasu solsticiali. Illic quoniam videbatur portus commodus, decreverant hibernare. Interea quum adspirasset Auster ventus sat commodus, qui flat a medio meridie, solventes ab Aso; ea civitas est in littore Cretae, praeterlegebant oram Cretae, ut appellerent Phoenicen modo dictam. Sed subito in diversum mutato vento, quum pro Austro flare coepisset Typhonicus, vehemens ac nautis formidabilis, idem dictus Euroaquilo, qui spirat inter septentrionem et ortum, vi tempestatis delati sunt in insulam, quae vocatur Claude, quae Cretam spectat inter occidentem et Austrum, quam in partem

maxime poterat impellere Euroaquilo, ex adversa coeli plaga spirans. Tandem desperatis rebus, impegerunt navim in insulam, quae dicebatur Melite. Ea est inter Epirum et Italiam, spectans Siciliam ad septentrionem. Hic viperam excusit absque noxa. Illic aliam navim naesti, nam altera perierat, appulerunt Syracusas, quae est in Sicilia, non procul a promontorio Pachyno. Huius littora praeterlegentes devenerunt Rhegium, id est oppidum in extremo agro Brutiorum, qua parte Italia proxima est Siciliae. A Regino recto cursu delati sunt Puteolos, id est promontorium in Campania, non procul a Neapoli. Hinc terrestri itinere peruentum est usque ad forum Appii, ad locum, qui dicitur Tres tabernae, atque hic occursum est Paulo a discipulis e Roma. Abest autem Appii forum ab urbe iter diei. Hinc demum Romanam peruentum est. Constat igitur ex actis, illum peragrasse totam minorem Asiam, deinde transisse in Europam, ac totam Graeciam peragrasse, a parte septentrionali, in qua est Macedonia, usque ad Illyridem. Nam Illyris extrema pars est Macedoniae, ad septentrionem et occidentem. Id ipse refert in epistola ad Romanos c. 15. *Ita ut ab Hierusalem per circulum usque ad Illyricum repleverim evangelium.* Caeterum nusquam legimus, illum praedicasse in Creta, ad quam appulit tempestate coactus et vincitus. Nec illic moram egisse legitur, quum ipse censeret illic hybernandum esse, et tamen in Creta reliquit Titum, ut singulis civitatibus ordinaret presbyteros, ac quod illic superesset corrigendum, corrigeret, quemadmodum ipse testatur in epistola, quibus ex verbis appetet, illum et in Creta praedicasse. Nec in Arabia quid a Paulo gestum sit, refert Lucas. Atque

Tom. III,

B

hactenus de locis peragratis. Nunc de temporum quoque ratione paucis attingamus. Summa rerum, quas auctorum liber complectitur, sub quatuor imperatoribus romanis gesta est; Tiberio, qui successit Octavio, Caio Caligula, Claudio Druso, Claudio Nerone. Quorum Tiberius rerum potitus est annos XXIII. Caligula IV. exceptis duobus mensibus, Claudio XIII. ac mensibus ferme decem, Nero XXIV. ac menses propemodum octo. Quidquid igitur gestum est a morte Christi, usque ad Paulum Romam perductum, continet Tiberii annos sex, Caligulae IV, Claudii XIV. In huius imperii initio Petrus Romam pervenisse creditur, et eiusdem anno quarto orta fames, cuius meminit Lucas. Rursus eiusdem anno nono, quemadmodum auctor est IOSEPHUS et EUSEBIUS, Roma expulsi sunt Judaei, cuius rei meminit Lucas cap. XVIII. Neronis autem annos quatuor. Interim praefides Judaeae fuerunt Pontius Pilatus, qui periit anno Caligulae III. Huic successit Felix, apud quem Paulus causam dixit, quem Claudius imperii sui anno undecimo, totius provinciae dederat procuratorem; Samariae quoque et Galilaeae, atque etiam regionis, quae dicitur ultra Iordanem. Et hoc nomine se felicem praedicat Paulus, quod causam dicturus esset apud eum, cui diu versato in ea provincia, notae essent res iudaicae. Huic successorem dedit Nero Portium Festum, apud quem quum praesente Agrippa causam dixisset Paulus, quoniam appellarat Caesarem, vincitus Romam missus est, anno Neronis tertio aut secundo. Porro Judaeorum reges hi fuere: Herodes, Philippus et Lysanias, praefuerunt annis sex. Herodes rex, qui Caesareae percussus ab angelo periit, praefuit annos septem. Agrippa huius filius, ex cuius confilio

Paulus Romam missus est, annos quindecim. Quamquam pater quoque cognomento dictus est Agrippa, sed filius simpliciter Agrippa vocatur in actis. Dominus itaque Iesus occisus est, revixit et adscendit in coelum, misitque spiritum sanctum anno Tiberii decimo octavo. Ac proximo anno, aut ut quidam volunt eodem, mox ut inter diaconos ordinatus est, lapidatus est Stephanus, Paulo assentiente, ac servante vestes lapidantium testium, qui paulo post deiicitur et convertitur apud Damascum, anno Tiberii XIX. Peragravit autem varias regiones ubique disseminans evangelium, usque ad annum Claudii decimum tertium. Nam hoc anno Paulus Hierosolymis coniectus est in vincula per Lysiam tribunum, a quo Caesaream vincitus est missus, ut apud Felicem audiretur, ubi detentus est in vinculis annos duos, atque a Felice ut erat vincitus, traditus est Portio Festo, a quo Romam missus est, ubi totum bienium egit in vineulis, hoc est, usque ad annum Neronis quintum. Nec ultra Lucas prosequitur historiam. Caetera scriptores non indiligentes ex variis coniecturis videntur addidisse, videlicet Paulum primum apud Neronem dicta causa fuisse absolutum, ac libere ubi vellet evangelium praedicasse annos decem. Tandem ubi Neronis saevitia iam processisset in rabiem, revocatus est ad eius tribunal, et capite truncatus. Huius rei coniecturam sumunt ex epistola Pauli ad Timotheum secunda. In qua meminit primae defensionis suae, in qua desertus fit ab omnibus, et tamen Dei praefidio liberatus. Atque hinc redisse ad praedicationem colligunt ex eo, quod mox subiicit: *Dominus autem mihi adstitit et confortavit me, ut per me praedicatio impleatur, et audiant omnes gentes.* Porro eum in se-

cunda defensione fuisse periclitatum, arguit' quod ini-
bi scribit: *Ego enim iam delibor, et tempus meae re-
solutionis instat etc.* Itaque martyrio coronatum cre-
dunt anno Neronis decimo tertio, anno a Christi morte
trigesimo sexto. Porro quod Lucas reliquerit Paulum
in prima defensione, hinc colligunt, quod hic finierit
eorum, quae viderat, narrationem. Rursus quod adfue-
rit in secunda defensione, testatur Paulus in eadem epi-
stola, dicens: *Lucas est mecum solus.* Ex his collige-
re licet, Paulum in evangelico negotio versatum fuisse
annos viginti unum, praeter duos illos, quos Caesa-
reae tenebatur in vinculis, rursus alios duos, quos Ro-
mae peregit in vinculis habitans in conducto, quibus, ut
historiae memorant, acceſſerunt decem. Ita comperies
a baptismo Pauli, usque ad mortem eiusdem annos tri-
ginta quinque. Haec quoniam videbantur nonnihil lu-
cis allatura lectioni, libuit in frontispicio operis praefigere.
Quamquam non ignorō, vix annorum rationem
ad unguem tradi posse, quum in his non solum diversi
scriptores inter se dissentiant, verum etiam iidem a se-
ipſis discrepent, ut BEDA in commentariis cap. decimo
octavo scribit ex auctoritate IOSEPHI, Judaeos Romae
expulſos anno Claudii nono. In annotatione tempo-
rum, quam praeposuit operi, dicit id factum anno
octavo. Sic et apud EUSEBIUM nonnunquam alium an-
num reperies in historia, alium in chronicis, ubi in
ambiguo relinquitur, utrum Tiberius imperaverit an-
nos XXI. an XXIII. Bene vale, lector, et ad paraphra-
ſim perlegendam bonis avibus accingere.

IN

IN ACTA APOSTOLORUM
PARAPHRASIS
PER
DES. ERASMUM ROTERODAMUM

C A P U T I.

Promissi mei partem absolvi, Theophile. Superiore quidem libro complexus sum Iesu Christi vitam, altius rem exorsus, quam caeteri, nimirum ab Ioannis Baptiste, qui domini praecursor fuit, conceptione, quod in hac quoque narratione prodita sint vaticinia, Messiam mox venturum promittentia. Post haec quae-dam ab aliis scriptoribus praetermissa copiosius enarravimus, de Christi conceptione, de nativitate, de circumcisione, ac purificatione; nonnihil etiam attigimus de divina indole, cuius specimen aliquod edidit annos natus duodecim. Haec ideo duxi commemoranda, quo pluribus argumentis liqueret, hunc esse, quem oracula prophetarum designarant, ac ne primam quidem illam aetatem Iesu caruisse piorum hominum ac spiritu coelesti afflitorum testimoniis. Quamquam autem dubium non est, quin tota Iesu vita fuerit unicum exemplar absolutae pietatis, tamen omissis his, quae in medio gesta sunt, transfilivimus usque ad tempus, quo Ioannes praedicatione baptismoque suo coepit agere praecursorem Iesu Christi, quod ab eo tempore potissimum

B 3



dominus Iesus coepit agere negotium salutis humanae iuxta figuras et aenigmata legis mosaicae, ac iuxta prophetarum vaticinia. Huius negotii summa duabus in rebus consistit, in factis, hoc est, in edendis miraculis, in tolerando supplicio crucis, in resurrectione, in quibus nihil non exhibut est per illum, quod vel in lege fuerat adumbratum, vel a prophetis promissum, tum in dictis, quibus orbi tradidit novam et evangelicam philosophiam, ut ab eodem peteremus et rationem et exemplum pie vivendi. Harum rerum seriem persequutus sum ad eum usque diem, quo posteaquam redivivus a morte praeceperat duodecimi apostolis suis reliquisque discipulis septuaginta, quos ante mortem peculiariter in hoc munus delegerat, ut accepto spiritu sancto, quem et tum illis insufflans in faciem eorum, impartiit, et post copiosius e coelo misit, abirent in orbem universum, ac praedicarent evangelium, non Judaeis tantum, verum etiam cunctis totius mundi nationibus, receptus est in coelum, unde veneratur. Ac primum modis omnibus erat confirmanda fides eorum, per quos decreverat admirabilium gestorum cunctis mortalibus fidem fieri. Horum caput erat, ut persuaderetur omnibus, Iesum vere mortuum, vere revixisse tertio die, non imaginario corpore, sed eodem illo iam immortali, quod mortale gesserat in terris, quod ex anime conditum fuerat in sepulchro. Proinde non satis habuit semel exhibere se redivivum discipulis suis, sed frequenter illis apparuit, non quemadmodum solent spectra, sed variis et evidenter argumentis declarans, se vivum receperisse corpus, quadraginta diebus hac de causa commoratus in terris, in quibus tamen nulli conspicuus esse voluit, nisi suis. Atque his non solum praebuit sese conspicendum oculis, audiendum auribus, contrectandum manibus, verum etiam familiariter cum illis vivens, cibum una cepit, quo non aliud vivi corporis certius indicium. Interim miscuit frequenter cum illis colloquium de regno Dei, revocans



illis in memoriam, quae gesserat ac docuerat ante mortem, ut tandem agnoscerent, nihil non evenisse, quod ille praedixerat eventurum, simul monens, quid in posterum essent vel facturi vel exspectaturi. Quam-
quam enim illis iam tradiderat auctoritatem evangelii
praedicandi, tamen vetuit, ne mox profilirent ad tam
ardui muneric functionem, nec discederent ab Hiero-
solymis, sed illic congregati, simulque vacantes ieju-
niis, hymnis ac precationibus, exspectarent spiritum
sanctum, quem ante quam moreretur, promiserat il-
lis alterum consolatorem mittendum a patre. Ego,
inquit, pollicitus sum ore meo, nec addubitate, quin
pater bona fide praestiturus sit, quod illius nomine vo-
bis recepi. Eadem est enim patris ac mea voluntas.
Coeleste negotium est, quod aggrediemini, non huma-
num, neque carnalia docebitis, quemadmodum phari-
saei docuerunt hactenus, sed spiritualia, neque medio-
cris oborietur vobis ob evangelii praedicationem per-
sequutio. Proinde opus est, ut virtute coelitus emissa
confirmemini, quo pares sitis tanto negotio, quod non
humanis viribus, sed divini spiritus praesidio perage-
tur. Hactenus tantum praelusum est quibusdam ad
evangelicam functionem rudimentis. Ioannes baptiza-
vit aqua, spiritum non contulit, nullus enim hominum
illum conferre potest, nec aliud praedicavit, quam poe-
nitentiam, quod instaret regnum coelorum. Nunc
opus est validioribus praefidiis ad depromendum evan-
gelicae doctrinae vigorem, et ad sustinendos adversan-
tis mundi tumultus. Ad id non satis est, vos esse mun-
dos a peccatis, sed ad novam doctrinam novo spiritu
est opus, spiritu copioso, spiritu coelesti, spiritu igneo.
Eo vos baptizabimini post paucos dies. Hic est ba-
ptismus, quem Ioannes dare non potuit, sed a me dan-
dum praedixit. Siquidem de me ferens testimonium
aiebat: *ille vos baptizabit in spiritu et igni.* Impar-
tit et olim Deus spiritum suum prophetis ac piis ho-

B 4



minibus. Et vobis insufflavi spiritum sanctum. Idem est spiritus, sed nunc copiosissime effundetur in orbem terrarum, renovaturus omnia. Huic venturo praepare animos vestros sobrietate, piis votis, sed in primis simplici fiducia, quo fitis organa commoda, per vos vim suam explicaturi spiritus. Haec ubi dixisset Iesus discipulis in unum congregatis, ne quid inter illos relinqueret dissidii, quoniam nondum illi deposuerant somnium illud de proferendo regno Israëlitico, percunctati sunt dominum, velut mox abiturum, an protinus a misso spiritu sancto restituturus esset regnum populo Israëlitico, et an statim esset exhibitus orbi maiestatem suam. Nondum enim intelligebant, cuiusmodi futurum esset regnum illud spirituale. Petrus in monte cupiebat constitui regnum. Caeteri quoque audita mentione resurrectionis, sciscitabantur de regno. Rursus audito sermone de mittendo spiritu, redit illis in mentem regnum. Sperabant enim fore, ut orbis totius imperium transferretur in populum Judaeorum. Et omnino futurum erat, ut regnaret Israël, non ille carnalis, sed qui vere nomen hoc promeruisse, hoc est, qui vere fortis esset Deo. Jacob enim hoc nomen promeruit, luctans adversus angelum. Quam diu mundus fidebat suis operibus, impar erat iustitiae divinae. Omnes coarguebantur iniustitiae, et succumbebant poenae. Caeterum ubi coepit sibi dissidere, et fidere promissis evangelicis, iam expugnavit, ut ita loquar, Dei iustitiam, et extorsit misericordiam. Hoc regnum ubique collapsum, sed praecipue apud Judaeos, restituit Christus per evangelium. Hoc non intelligentes discipuli, felicitatem quamdam somniabant, quae liberaret ipsos ab omnibus malorum persecutibibus. Verum id non erat futurum ante finem mundi. Tempus autem illud dominus ideo volebat suis incognitum esse, quia non expediebat illis scire. Proinde inutilem illorum curiositatem tali responso retulit: Nolite quaerere quod non expedit scire. Tantum



fidite, et quod mandatum est, peragite. Vos huius rei nihil aliud eritis quam ministri. Progressum et exitum permittite patri coelesti. Non igitur est vestrum nosse, quo anno, quo mense, qua hora venturum sit regnum Israëliticum, qualia scrutantur astrologi stulte curiosi. Quidquid pater voluit vos scire, hoc vobis impartii, tempus illud vobis non aperui, quia pater eius arbitrium uni sibi servavit, quo semper vigiletis in officio. Veniet omnino regnum Dei, quo piis et impiis sua pro factis praemia tribuentur, in cuius adventum oportet semper esse paratos. Quamquam et interim exseret sese regnum spirituale, in quo afferendo Deus vestram requirit operam, de praemiis ipse viderit. Proinde omisso studio cognoscendi quae non oportet, parate vos ad id quod instat. Cui rei quoniam ex vestris viribus impares estis, spiritus sanctus, ita ut sum pollicitus, coelitus effundetur in vos, robur animis vestris additurus, et quidquid vos docui revocaturus in memoriam, suggesturus etiam, si quid praeterea fuerit opus cognito, cuius suggestione docti, praesidioque roborati, eritis mihi testes, primum Hierosolymis iuxta prophetam, qui dicit: *De Sion exhibet lex, et verbum domini de Hierusalem*, mox per omnem Judaeam, deinde per Judaeae finitimam Samiam, postremo per universas orbis nationes, quamcumque gentes humanae terram incolunt. Omnibus enim ex aequo veni, omnibus mortuus sum, omnibus offertur evangelii gratia. Regnavit haec tenus lex apud Judaeos. Evangelii regnum tam late patere vult pater, quam late patet terrarum orbis. Hic erat sermo postremus, quo dominus Iesus discipulos suos omnes in unum collectos in Bethania affatus est. Quo finito bene precatus illis, sub oculis omnium ferebatur in altum, donec nubes candida Iesu corpus subduceret illorum adspectu. Tempus enim erat, ut desinarent a corporis aspectu pendere, quo magis inciperent esse spirituales,

B 5

9



Xo nec Iesum aliis iam oculis intueretur quam fidei. Quum igitur dominus nube tectus ferretur in sublime, persistebant discipuli defixis in coelum oculis. Usque adeo non poterant avelli ab eo, quem unice diligebant, licet adhuc imbecilles. Exspectabant autem, ecquid etiam novae rei ostenderetur e sublimi. Adsum igitur repente duo nuntii coelestes, specie humana, veste candida, species excludebat horrorem, candor vestis congruebat nuntio properantis ad gloriam. Hi verbis amicis discipulorum moerorem, ex digressu domini conceptum, lenibant, et ab iniutili suspectu revocabant ad officium. *Viri, inquiunt, Galilaei, cur hic statis defixa in coelum oculis?* Hic Iesus sublatus a vobis, rediit in coelum, unde venerat, quemadmodum frequenter ab illo auditis, quod profectus esset a patre, et quod vobis in mundo relatis, redditurus esset ad patrem. Non raptus est in aëra, quemadmodum Elias, sed receptus est in regiam patris, illi consensurus ad dexteram, utpote coelestis regni consors. Conspexitis illum visibili quidem sed immortali corpore proficiscerentem in coelum. Sic olim redditurus est, ut iudicis speciem agnoscant, qui hic servatoris speciem agnoscere noluerunt. Non redabit humilis, sed e sublimi multa cum gloria sepe ostendet oculis omnium. Pauci vidistis euntem, redeuntem videbunt universi. Caeterum non est, quod eum redditum nunc exspectetis. Didicistis ex eo, quod prius evangelium Dei praedicandum sit per universum terrarum orbem. Hoc potius nunc agite. Nec enim iussi estis hic confistere, sed sedere Hierosolymis, ut illic accepto coelesti spiritu, feliciter auspiciemini coeleste negotium. His dictis paruerunt discipuli, ac reliquo monte olivarum, cuius hospitio dominus ante mortem delectatus fuerat, et cui redditurus in coelum ultima impressit vestigia, reversi sunt Hierosolymam. Abest autem mons ille ab Hierosolymis itinere sabbati, hoc est fere passus bis



mille. Ab hoc monte itum est ad crucis ignominiam, ab eodem itum est ad gloriam. Ex hoc in prospectu est Hierosolyma, et in hoc sedens praedixerat ac defleverat excidium urbis. In hac interfectrice prophetarum dominus primo voluit exoriri lucem evangelicam, vel quia sic praedictum erat a prophetis, vel ut eriperetur illis omnis praetextus excusationis, alioquin ob suam incredulitatem funditus perituris. Amabilius erat apostolis suspicere in coelum, quo praecesserat dominus, verum ob utilitatem proximi saepe descendendum est ad necessaria magis quam iucunda nobis. Ubi ventum est Hierosolymam, ingressi sunt coenaculum quoddam, in quo mansitabant discipuli, qui Christo fuerant praeceteris familiares, videlicet *Simon Petrus et Iohannes, Iacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomaeus et Matthaeus, Iacobus Alphaei et Simon Zelotes*, qui Hebraeis dictus est *Cananaeus*, et *Judas* cui cognomen *Thaddaeus* sive *Lebbaeus, Jacobi minoris frater*. Mansitabant in eodem coenaculo mulieres aliquot, quae pio studio sequutae dominum proficiscentem Hierosolymam, de suis facultatibus ministrarant. Inter has erat et Maria mater Iesu, cum aliquot illius cognatis, quos Hebrei fratres appellant. Hic mihi paulisper contemplator ecclesiae nascentis primordia. Placet civitas Hierusalem, quae Hebraeis sonat *visionem pacis*. Non habitant Hierusalem, quibus hic mundus est patria, nec adspirant ad tranquillitatem vitae coelestis. Non habitant Hierusalem, qui mentem habent mundanis cupiditatibus turbulentam. In talia pectora non sese recipit spiritus sanctus. Placuit et coenaculum, quae pars est superior aedium. Nam inferiora domus vel tabernae, vel officinae solent occupare. Procul autem a Fordidis curis oportet abesse, qui se parat habitaculum divino spiritui. Haec est illa sancta congregatio, quam ex omnibus delegerat dominus Iesus. Hoc erat coenaculum



primum evangelicae ecclesiae domicilium. Nunc vi-
de quid hic agatur. Non rixis aut fabulis otiosis ter-
tur tempus, sed erant omnes unanimiter perseverantes
in sacris precationibus. Non est ecclesia Christi, ubi
non est unanimitas. Non sunt Deo gratae preces, ubi
non est fraternal concordia. Nec meretur audiri, nisi
qui perseveranter oraverit. Idem orat evangelica con-
gregatio. Ubi aliis orat opes, aliis optat mortem ini-
mici, aliis longaevitatem, aliis regnum, aliis aliud,
ibi non est ecclesiastica deprecatio. Ad apostolicum
autem coenaculum confluebant et reliqui discipuli.
15 Quisquis autem vult haberi discipulus Iesu, ad ecclae-
siae consortium aggregetur oportet. Iam convenerat
hominum multitudo plus minus centum viginti. Tam
exiguus erat numerus, qui Christum toto pectore di-
ligeabant. Hic Petrum ut fidum pastorem, qui vehe-
menter cupiebat gregem evangelicum accrescere, coe-
pit sollicitudo quaedam de imminuto numero apostolo-
rum, quos dominus Iesus duodecim elegerat. Judas
enim Iscariotes extinctus e duodecim fecerat unde-
cim. Hic considera, Theophile, consultationis ecclesia-
sticae formam. Quum numerus discipulorum adesset
frequentissimus, Petrus episcopi personam agens, al-
surgit in medio confessu discipulorum, ut ex concordi
consensu statueretur, quod ad instaurandam integrita-
tem ordinis apostolici videbatur pertinere. Exorditur
a scriptura divina. Nimirum hinc oportet proficisci
concionem ecclesiasticam, neque quidquam decerni-
16 tur, nisi praemissa concordi deprecatione. Loquutus
est autem hunc in modum: Viri fratres, non oportet
vos humanis consiliis quidquam tentare novi, sed quod
olim spiritus sanctus per os David praedixit, de subrogan-
do quopiam in locum Iudee, necesse est ut impleatur.
Nam et hoc praedictum erat in psalmis futurum, ut ille
descens a domino suo, locum vacuum facheret suc-
cessuro. Dominus enim Iesus ex omnibus duodecim



peculiariter selegerat apostolos, quos omnium, quae gerebat ac docebat, voluit esse testes. Hos omnes hic videtis adesse, excepto Juda Iscariote. Nam et illum ¹⁷ dominus Iesus cooptaverat in numerum duodecim, atque apostolici munera consortem esse voluit. Verum is deserto consortio praceptoris ac nostro, maluit esse dux scelerorum militum, qui comprehenderunt Iesum, quam Iesum ducem sequi, aut apostolorum esse socius. Atque impii consilii fuit infelix exitus. Si ¹⁸ quidem excaecatus avaritia, triginta argenteis vendit ac prodidit innocentem dominum. Deinde ductus facti poenitentia, retulit impiam mercedem, et abiecit ad pedes sacerdotum, a quibus fuerat conductus. Ipse magis memor sceleris sui, quam Iesu clementiae, sibi carnifex fuit. Nam laqueo guttur praeligavit, ac suspensus crepuit medius, et effusa sunt omnia viscera eius. Caeterum infelix illa pecunia, quam abiecerat ad pedes sacerdotum, eorumdem consilio collocata est emendo agro, in quo sepelirentur peregrini, propterea quod nefas esse ducerent, pretium innoxii sanguinis prodiit inferre gazophylacio. Haec sacerdotum ac ¹⁹ phariseorum impia religio fecit, ut et Judae facinus, et ipsorum impietas magis innotesceret omnibus, qui tum agebant Hierosolymis, adeo ut ager ille vulgata Judaeorum lingua diceretur *Acelandia*, hoc est, *ager sanguinis*. Itaque quod Ps. LXVIII. spiritus sanctus ²⁰ praedixerat de Judaeis, qui pertinacibus odiis Christum persequuti sunt, nec voluerunt resipiscere tot provocati beneficiis, iam in Juda videmus impletum, suo tempore complendum et in caeteris. Sic enim habet prophetia: *Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea.* Amisit infelix Judas locum apostolici munera. Itidem et tolletur olim templum, sacerdotium, scribarum et phariseorum auctoritas una cum ipsa Hierosolyma. Expellentur impii Judaei, et succedent in horum locum veri Judaei, qui mente cir-



cumcisi non corpore, Messiam agnoscant quem illi crucifixerunt. Praedictum est et hoc multis propheta-
rum vaticiniis, et ipsi audivimus dominum Jesum haec cum lachrymis vaticinantem de civitate Hierosolymo-
rum. Restat interim, ut et in Judae locum aliquis sub-
rogetur. Praedixit et hoc Psalmus CVIII. *Et episco-
patum eius accipiet alter.* Nostra enim functio nihil
aliud est, quam ut dominici gregis curam gerentes, il-
21li de doctrinae evangelicae pabulo prospiciamus. De-
seruit ille locum suum, nec tamen ob id fraudandus
est grex suis pastoribus, nec minuendus est numerus;
quem dominus omnium primum instituit, addito co-
gnomine peculiari, ut apostoli vocarentur. Hos enim
perpetuos dictorum ac factorum suorum testes esse vo-
luit, quos ob id assiduos ac domesticos etiam habuit
convictores. Oportet igitur aliquem in Judae locum
subrogari ex eorum numero, qui perpetuo nobiscum
versati sunt toto hoc tempore, quo dominus Iesus
peragens negotium salutis humanae, nos sibi familia-
res esse voluit et affectatores perpetuos, quocumque se-
22le conferret, videlicet a baptismo Ioannis, cui mox
successit, usque ad eum diem, quo se se recepit in coe-
lum, quo nobiscum possit esse testis idoneus omnium,
quae docuit ac gessit dominus, sed praecipue resurrectio-
nis, nec enim frequenter omnibus apparuit discipulis, sed
23his duntaxat, quos peculiariter selegerat. Haec oratio
quum placuisset multititudini, statuerunt duos e nume-
ro septuaginta selectos, Ioseph, idem est Barsabas, cui
ob insignem morum integritatem cognomentum est ad-
ditum, Iustus, ac Matthiam, ut ex his duobus, quos
aequahat religio, uter magis placuisset coetui, is su-
24sciperet apostoli munus. Caeterum illi suo iudicio dif-
fidentes, communī precatione rogarunt dominum, di-
25centes: Hominēs, qui iudicant ex his, quae cernunt et
audiunt, falli possunt iudicio: sed tu, domine, qui solus
inspector es cordium, ex quibus homines vere boni sunt



aut mali, ne graveris aliquo signo declarare famulis
tuis, utrum ex his duobus elegeris, ut implete numerum
duodecim apostolorum, ac succedat in functionem
tanti muneris, unde Judas excidit, abiturus in locum
suum, in quem tu non ignorabas illum abiturum, cu-
ius oculos nihil fugit. Nec enim ille tua culpa defe-
cit a tuo consortio, qui nihil non fecisti, quo resipisce-
ret, neque tu falsus iudicio adsciveras defecturum, sed
ita nobis expedire viderat tua divina sapientia, ut illo
proditore, filius tuus pro nobis immolaretur, et prodi-
tor nobis esset exemplo, ne munus nobis traditum
oscitantes ac securi teneremus. Post hanc precationem²⁶
itum est ad sortes iuxta morem Hebraeorum. Sic enim
Ionas forte praecipitatus est in mare, sic Ionathas de-
prehensus est gustasse mel, sic sacerdotes sortito fun-
gebantur sacris officiis. Nondum enim venerat spiri-
tus sanctus, et adhuc aliquas Judaismi reliquias habe-
bant apostoli. Tametsi sortes periculose non sunt,
quae utricumque faverint, probum et idoneum desi-
gnant. Nec totum negotium creditum est sortibus.
Suffragiis sunt electi duo probatissimi. Inter hos am-
biguitatem electionis finiit sors, quae n. ipsa temeri-
tatem habere potuit, cuius eventum moderatur pre-
atio. Sors igitur haec, quae nihil aliud fuit, quam
declaratio divinae voluntatis, designavit Matthiam,
quamquam Ioseph praeter cognominis commendatio-
nem, etiam Iesu propinquitate commendabatur. Et
tamen huic praelatus est Matthias, quo nos doceremur,
in diligendis episcopis, quibus credenda sit evangeliae
doctrinae dispensatio, adeo nihil esse tribuendum
humanis affectibus, ut inter pares potius illi faven-
dum sit, quem nihil humanae rei commendat, ne quod
per occasionem est factum, trahatur in perniciosum
exemplum. Subest et in nominib[us] non nihil recondi-
tioris doctrinae. Matthias, quae vox Hebraeis sonat
donationem domini, praefertur Iusto. Id cognomen



ex operibus sibi vindicabant pharisei. At nulli minus idonei sunt ad dispensationem evangelicam. Qui gratuitum Dei donum per fidem evangelicam agnoscit et praedicat, is demum dignus, qui succedat in vices apostolorum. Nec indignatus est Iustus sibi praeferri parrem, nec sibi placuit Matthias additus undecim apostolis, ut sacrum illum numerum absolveret, et vir optimus in pessimi locum succederet.

CAPUT II.

Hunc in modum transactis diebus a domini resurrectione quadraginta novem, aderat exspectatus ille dies pentecostes, hoc est, quinquagesimus, qui Judaeis quoque laetus ac venerabilis erat, vel ob annum Iubilati, qui quinquagesimo quoque anno recurrebat, vel quod lex in monte Sinai prodita sit quinquagesimo die ab occiso agno, cuius cruento incolumes exierant ex Aegypto. in monte prodita est vetus lex, inscripta tabulis lapideis, in coenaculo prodita est lex nova, per spiritum sanctum inscripta cordibus credentium. Utrobiique loci sublimitas, utrobiisque ignis. Sed illic nihil aliud quam mons est, quem populus etiam attingere prohibetur, nimurum crassius ac terrenus, nec capax rerum spiritualium. Hic in ipso monte domus est, ut agnoscas ecclesiae concordiam. Illic mons Sinai, qui conveniebat ferendae legi, quae multitudine praceptorum coerceret rebellem populum. Nam a pracepto Sina dicitur. Hic mons Sion, qui Hebraeis sonat *speculam*, unde despiciuntur omnia terrena, unde per fidem velut e propinquo prospectantur coelestia. Illic ignis terribilis, fumus, incendium, fulgura ac tonitra, hic spiritus vehemens, sed alacritatem adferens, non terrorem, et ignis, qui non exurat corpora, sed mentes illuminet, coelestique facundia locupletet linguis.



guas simplicium. Illic populus discors obmurmurat, hic in eodem conclavi quieti unanimesque deprecantur expectantes coeleste donum. Erat is dies delectus coelesti negotio, quemadmodum et locus, in quem novem diebus frequenter soliti fuerant ventitare. Caeterum ubi iam adesset dies quinquagesimus, simul omnes magno consensu convenerant in idem coenaculum, accepturi spiritum coelestem. Ubi animus est humilibus ac sordidis curis occupatus, ibi non est spiritus sanctus, in coenaculo sit oportet. Ubi pectus est dissidiis, odiis ac rixis tumultuosum, ibi non est locus spiritui sancto. Omnes simul collecti in unum locum, eumque sublimem, concorditer credunt, orant et exspectant. Et ecce subito venit e sublimi donum Dei. 2 Reperente siquidem e *coelo* venit sonitus, quasi venti magno impetu sese ferentis, ac replevit totum coenaculum, ubi sedebant placidi quietique. Non erat ille Boreas e nubibus frigus adspirans, neque erat Notus e palustribus locis teporem pestiferum adferens corporibus. Flatus erat coelestis, inde veniens, quo profectus fuerat Christus, vitam aeternam inspirans animis, robur et alacritatem addens infirmis ac pusillis. Hic sonitus neminem terruit, sed omnium animos expergefecit ad exspectationem promissi spiritus. Datum est hoc signum auribus, datum est alterum oculis. Sunt enim hi duo sensus in homine praecipui. *Apparuerunt linguae velut ignea specie sese in singulos discipulos dispertientes*, atque ut intelligamus donum hoc fore perpetuum, uniuscuiusque capiti aliquamdiu insidentes. Idem spiritus afflavit omnium animos. Idem ignis accendit omnium pectus ac linguam. Nec mora, visibile signum vis doni coelestis est consequuta. Omnes quotquot aderant, veluti subito transmutati in coelestes homines, ac *repleti spiritu sancto, cooperunt loqui diversis linguis*, non quas didicerant ex hominum colloquiis, sed quas coelitus illis indiderat spiritus. 3

Tom. III.

C



Nullum hominis membrum pestilentius mala lingua,
nullum salubrius bona. Caeterum ad coelestem do-
ctrinam per omnium linguarum gentes disseminandam,
opus erat linguis coelesti doctrina imbutis, tum evan-
gelicae caritatis igni flammantibus. Erat igitur hoc
praecipuum signum evangelicae fidei, quod dominus
illis promiserat, *linguis*, inquiens, *loquentur novis*.
Qui calumniantur, qui obtrectant, qui convitantur
proximo, qui peierant, qui loquuntur obscoena, lin-
guam habent non igne coelesti, sed igni gehennae in-
flammatam. Qui disputant de rebus humilibus huius
mundi, nondum acceperunt linguam coelestem. An-
tea apostoli disputabant de panibus omissis, de regno
Israëlitico proferendo, de primo confessu, de princi-
patu. Haec erat humana lingua, nondum idonea ad
praedicandum evangelium. Nihil istiusmodi nunc lo-
quuntur; spiritualia, coelestia, ignea sunt omnia, quae
spirant, quaeque loquuntur. Sine lingua, sine spiritu
non profertur vox. Porro spiritus coelestis vocem edit
coelestem, lingua ignea rapit et inflamat animos au-
ditorum. Friget lingua phariseorum, neminem affi-
cit quantumvis erudita philosophorum, quantumvis di-
serta rhetorum lingua. Donum hoc e coelis profici-
scitur. Discipuli nihil aliud sunt quam organa, per
quae vocem suam edit spiritus sanctus. Hoc donum
nec homo dare potest homini, nec sibi quisquam par-
titur, sed Deus impartit unicuique, sicut ipse visum fue-
rit. Cui copiosius impartierit, is non habet cur alte-
rum despiciat, sed habet, cur alacrius conetur pro-
desse multis. Res est vehemens spiritus, res est vivi-
da et irrequieta ignis. Non dormitant amplius aposto-
li, quemadmodum dormitabant ante mortem domini,
non latitant amplius, quemadmodum latitabant post
resurrectionem, profiliunt in publicum, passim ac pa-
lam praedicant omnibus gratuitam salutem per fidu-
ciam erga Iesum, paulo ante cruxifixum. Erat autem



ea civitas theatrum idoneum huic auspicandae fabulae. Siquidem ob urbis celebritatem, et ob pascha quod praecesserat, et ob pentecostes religionem plurimi tum agebant Hierosolymis, non solum ex omnibus Syriae partibus, verum etiam ex omnibus regionibus, quo-
cumque illos vel bellorum tempestas dispulerat, vel ca-
sus aliquis deduxerat. Inter quos erant plurimi, qui-
bus cordi erat pietas. Huius igitur rei novitas ubi per 6
omnes esset vulgata, convenit promiscua populi mul-
titudo, perplexis animis quaerens, quid hoc esset novae
rei, quod quum ex tam diversae linguae regionibus es-
sent collecti, tamen tum unusquisque sic intellexisset
illos loquentes, quasi non una quapiam omnibus, sed
singulo cuique sua vernacula fuissent loquuti. Habet
enim et Hebraeorum lingua iuxta regionum divisionem
sua discrimina, vel ex confinio diversarum gentium,
vel alio quopiam casu. Nam et Iesum Samaritana mu-
lier ex linguae proprietate agnovit esse Judaeum, et
Petrum linguae sonitus prodidit esse Galilaeum. Iti-
deni et Graecorum lingua in quinque species diducta
est. Neque minor differentia in caeteris gentium lin-
guis. Porro plerique Judaei non aliam tenebant lin-
guam, quam eius gentis apud quam erant nati. Omnes
igitur vehemens quaedam habebat admiratio, atque
inter se disputabant, qui fieret, quod nec auditum
unquam fuerat, neque lectum. Dicebant autem: Ec-
ce rem novam. *Nonne isti omnes qui loquuntur pa-*
tria Galilaei sunt? Qui fit igitur, ut tam multi di- 7
versae linguae homines, quoties audimus unum aliquem
loquentem, nihil scius intelligamus, quam si suam
quisque linguam, in qua natus est, audiret, quum ex tam
diversis regionibus multitudo conflata sit, quae habet
Parthos, Medos, Elamitas, tum eos qui incolunt Ju- 9
deam in multas partes divisam, et ad haec Cappado- 10
ciam, Pontum et Asiam, sic proprie dictam, Phry-
giam, Pamphyliam, Aegyptum, easque Libyae par-

C 2



11 tes, quae attingunt Cyrenen. Neque desunt, qui Ro-
mae sedem habent, partim genere Judaei, partim pro-
lyti, hoc est, ad iudaicam religionem cooptati. Prae-
terea Cretenses et Arabes. Ex tot nationibus, ex tam
diversis linguis conflati, audimus et intelligimus illos lo-
quentes, non res usitatas aut humanas, sed sublimia,
12 sed magnifica, sed Deo digna. Ad hunc modum quo-
quot erant religionis amantes, rei novitate perculsi,
disserebant, dicentes: Quid sibi vult prodigium hoc?
Non reprehendunt quod assequi non possunt, quemad-
modum solent pharisei, sed inquirunt ac discere cu-
13 piunt, quod ignorant. Ex adverso qui iudicii erant
iniquioris ac praecipitis, irridentes dicebant: *Mysto*
expleti sunt. Dicas hos esse discipulos phariseorum,
qui dicebant de Iesu: *Daemonium habet.* Et est omni-
no ebrietas vehemens furori persimilis. Fit autem for-
sitan, ut per furorem aliquis diversis loquatur linguis,
quas nunquam didicit. Sed nullus furor hoc praestat,
ut omnes quod loquaris intelligent. Haec illi quidem
ludibrii causa dicebant. Caeterum nihil vetat non
nunquam et iocando vera dicere. Prorsus expleti erant
novo vino, quod dominus noluit committi vetustis
utribus. Vetus enim mosaicae legis vinum defecerat
in nuptiis ecclesiae, ac frigidus et insipidus legis sensus
per Christum versus est in vinum novum. Insipidum
ac dilutum est, quidquid carnale est. Vividum, effi-
cax ac sapidum est, quidquid est spirituale. Bibebant
autem affatim de calice coelesti, de quo dicit psalmo-
graphus: *Calix meus inebrians quam praeclarus est.*
Et si licet res toto genere dissimillimas inter se con-
ferre, vulgaris ista temulentia quatuor res praecipue
gignit in hominibus, profert in apertum quae latebant
in corde, inducit oblivionem praeteritorum malorum,
ac spe laetorum exhilarat animum, addit robur usque
ad vitae contemtum. Postremo ex infacundis facit di-
fertos. Iam mihi vide, *Ian* non simile quiddam no-



vum illud spiritus divini mustum genuerit in apostolis,
quod metu celaverant, quod in occulto didicerant,
nunc proferunt in vulgus, ac iuxta domini vaticinium
praedicant in tectis. Obliviscuntur veteris Judaismi,
ac veluti iam nati non meminerunt vitae superioris,
nec recordantur afflictionum, quibus territi dominum
deseruerant. Nullis praesidiis humanis instructi, nec
praeſides timent, nec reges, nec concilia, nec carce-
res, nec tormenta, nec mortes, semper alacres ac
laeti promissis evangelicis. Denique qui (*) erant pi-
scatores et idiotae, mox eloquentia coelesti coarguunt
supercilium pharisaeorum, convincunt enthymemata
philosophorum, opprimunt vim rhetorum. Nihil au-
tem difficultius quam verba facere apud multitudinem,
quae quum semper est bellua multorum capitum, tum
vero praecipue, quoties ex variis linguis ac nationibus
collecta est. Hic igitur mihi considera Simonem Pe- 14
trum subito ex pescatore factum oratorem. Tumultua-
batur multitudo. Quod tum factum est, id semper est
futurum usque ad finem mundi. Ibi demum boni pa-
storis officium est, forti animo prodire in medium, non
ut violentia comprimat obmurmurantes, nec ut con-
vicia regerat, sed ut constanti magis quam feroci ani-
mo per sacrae scripturae testimonia depellat calumni-
am, et Christi gloriam asserat. Petrus itaque qui prius
in coenaculo surrexerat, expleturus numerum apostolo-
rum, nunc rursus assurgit apud confusam hoininum
multitudinem, docturus eos, qui dixerant: *quid sibi
vult hoc:* et os oppleturus his, qui dixerant: *musto ple-
ni sunt.* Non est autem necesse, ut episcopus semper
erecto corpore loquatur apud populum, quando Chri-
stus ipse sedens docuit populum. Caeterum animo stet
oportet, quisquis aggreditur munus apostolicum. At-
que hic interim agnosce Petri dignitatem. Primus est

C 3

(*) Alia hic inserit: *prius.*



ad dicendum, ubi res evangelicum oratorem postulat. Recondiderat gladium, qui Christo non placuit, exserit gladium spiritus. Sic oportet esse primatem episcopum. Assurgit Petrus, sed non solus, verum adstantibus undecim apostolibus, ne sibi tyrannidem usurpare videretur. Unus fecit verba, sed unus omnium voce loquutus est, quemadmodum et ante unus omnium nomine professus est Iesum Christum filium Dei viventis. Unde tanta fiducia piscatori, idiotae, et humili, ut tantam multitudinem auderet vel obtueri? Saepe magnis oratoribus, qui multis vigiliis elucubratam ac meditatam adferunt orationem, dicturis apud frequentem populum, aut principes, fugit color, vox faucibus haeret, obstupefit mens. Nimirum haec erat illa coelestis ebrietas, haec erat illa sobria temulentia. Adstitit coram tanta multitudine, adiunxit undecim apostolos, non ad praesidium, sed ad consortium, intendit oculos in populum, ignotus in ignotum, extulit vocem suam, et nihil praemeditatus loquutus est illis, iam hoc praefans quod docuerat dominus. Nec pro se loquitur, sed pastor gregi patruncinatur, nec humanis argutiis agit, sed divinae scripturae praesidiis. Iam exspectat attenta multitudo concionem. Attendantur et nos, quandoquidem haec omnibus dicta sunt. Primum ubi mota manu turbae murmur compescuisse, exorsus est tali prooemio, quod illos nulla assentatione rhetorica redderet attentos. Viri, inquit, iudaicae gentis, quos non oportet ignorare legem ac prophetas, vosque precipue, qui degitis in hac urbe Hierosolymorum, ubi caput est religionis ac scientiae legis. Est fortassis quod admiremini, non est quod calumniatur aliquis. Proinde quotquot adestis, praebete mihi aures paulisper attentas, et rem ut
I5 habet cognoscite. Id enim vestra omnium refert. Nam hi Galilaei, quos mihi videtis assistere, nequaquam musto sunt ebrii, quemadmodum quidam existimant,



quum sit hora diei tertia, nullus autem diluculo solet esse ebrius. Verum in his videtis impletum, quod olim 16 Deus promisit futurum per Ioelem prophetam. Audite prophetam, et agnoscite promissi fidem. Nolite calumniari, quia rem insolitam videtis, sed amplecti- mini potius gratiam divinitus vobis oblatam. Ioe- enim afflatus divino spiritu, videns futurum ut Deus, qui diversis temporibus Mosei et prophetis aliquot im- partierat spiritum suum ad vestram salutem, tandem misso filio suo unico, spiritum eumdem copiosissime ef- funderet non in unum atque alterum, quemadmodum videtis tot seculis paucos exstisisse prophetas, sed in omnes totius orbis nationes, quaecumque sincera fide reciperent hunc laetum nuntium, quem ipsius iussu vocis omnibus adferimus, sic prodidit coeleste vatici- nium. *Erit in novissimis diebus, dicit dominus: Ef-17* fundam largiter de spiritu meo super omnem carnem, et subito prophetabunt filii vestri et filiae vestrae, et iuvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri so- mnia somniabunt. Et quidem super servos meos et an-18 cillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, et prophetabunt. *Et dabo prodigia in coelo sursum, et 19* signa in terra deorsum, sanguinem et ignem et vapo- rem fumi. Sol convertetur in tenebras et luna in san-20 guinem, antequam veniat dies domini magnus ac illu- stris. *Et omnis quicumque invocaverit nomen domini, 21* salyus erit. Haec ante tot secula vaticinatus est vobis propheta Ioe. Quod de spiritus effusione praedixit, videtis exhibitum. Nec dubitandum est, quin quod idem vaticinatur de ventura calamitate, sit pari fide praestaturus. Verum nihil est quod desperetis, ostendit propheta certam salutis viam, qui periculum de- nuntiat. Invocate nomen domini et parata est salus. 22 Sed quemadmodum sit nomen domini invocandum, nunc audite viri Israëlitae, et quod reliquum est huius orationis diligenter auscultate. Plerique novistis Iesum



Nazarenum, quem virum Deus olim omnium prophetarum oraculis promissum exhibuit vobis, eumque vobis commendavit multis ac magnis miraculis ac prodigiis, quae per illum gessit in conspectu vestro. Siquidem Deus erat in illo. Rem loquor vobis non ignotam, siquidem fama miraculorum eius pervagata est, non solum per universam Judaeam, verum etiam ad quasdam civitates finitimas. Quoniam autem ipse peragravit totam hanc regionem, ubique verbo sanans agrotos, restituens debiles, illuminans caecos, mundans leprosos, eiiciens daemones, plerique vidistis, quae narro. Nihil horum gestum absque divino con-

23 filio. Sie visum est Deo servare mundum. Hunc igitur talem quum accepissetis, non casu aut fortuito, ex certo Dei consilio ac praescientia traditum in salutem Israëliticae gentis, per manus impiorum militum suffixistis in crucem et occidistis. Siquidem milites nihil aliud erant, quam ministri facinoris. Caeterum occidit, quisquis ad mortem adegit. Res apertior est, quam ut negari possit. Hunc a vobis imperfectum ita volente Deo, qui tradiderat occidendum, idem iuxta prophetarum oracula tertio die revocavit in vitam, ut quod in hoc factum esset virtute divina, idem in se sperarent futurum omnes, qui crediderint evangelio. Siquidem ille voluntati patris obtemperans, patienter tulit ignominiam crucis, tota fiducia salutis collocata non in humanis praefidiis, sed in Dei misericordia, et ideo per illum liberatus a doloribus mortis et inferorum, quos ut homo quidem gustare potuit, caeterum ut immunis ab omni peccato, teneri vincirique ab illis nullo modo potuit. Mors enim ac tartarus non habet perpetuum ius, nisi in eos, qui peccato sunt obnoxii. Proinde ut deglutire potuit illum mors, ita devoratum tenere non potuit, sed tertio die coacta est revomere, quemadmodum cetus revomuit Ionam. Deus igitur ideo voluit innoxium haec omnia pati, ut per illum nos omnes et a peccatis et a iure



mortis redimeret, si modo totam fiduciam nostram ad exemplum Iesu Nazareni in Deo collocemus. Quod ²⁵ narro vobis, Israëlitae, non oportet incredibile vide-ri, posteaquam David afflatus coelesti spiritu, pree-dixit hoc futurum. Sic enim in Psalmo XV. loquitur de Iesu Nazareno, quem vobis praedicamus. *Provi-debam dominum coram me semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Propterea laetatum est cor ²⁶ meum, et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescat in spe: Quod non derelinques animam me-²⁷ am apud inferos, nec committes, ut sanctus ille tuus videat corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitae, ²⁸ replebis me iucunditate cum facie tua. Videlis, quam dilucide nobis depinxerit rex et propheta David, quod in Iesu Nazareno gestum esse scitis. In Deo colloca-rat omne praesidium suum, et huius unius auxilio fre-tus volens ac lubens passus est omnia, quae vos illum passum esse scitis. Corde gaudens toleravit dolores corporis. Exsultavit illius lingua nunquam tacens aut supprimens voluntatem Dei. Passus est sepeliri sese, nihil addubitans, quin pater illum esset ad vitam revo-caturus die tertio, nec fineret illum in sepulchro pu-trescere, qui nullius mali sibi conscius, spem omnem collocarat in Deo. Quisquis enim spem salutis collo-carit in suis operibus, aut in huius mundi praesidiis, non erit par ferendis mortis doloribus, nec semel ab illa captus poterit semet extricare. Quisquis autem habet oculos iugiter intentos in Deum, qui misericors est in omnes, is novit vias vitae, et si quando Deus videatur ad tempus avertisse vultum ab eo, tamen bre-vi reddet illi conspectum sui, proque cruciatibus tem-porariis restituet aeterna gaudia, pro morte reddet immortalitatem, pro ignominia terrena coelestem glo-riam. Per hunc itaque et nobis est ostensa via ad vi-tam aeternam. Fortassis erunt, qui prophetiam hanc ²⁹ ad ipsum David pertinere suspicentur, non ad Iesum,

C 5



Scio quam magnifice sentiatis de patriarcha David, nec immerito ita sentitis. Fuit enim ille sanctus ac Deo carus, sed ut libere quod verum est loquar apud vos, viri fratres, non tantum est tribuendum patriarchae David, ut illi quod est Messiae adscribatur. Res enim ipsa loquitur, hoc vaticinium nec in David, nec in quemquam alium patriarcham aut prophetam competere. Siquidem, id quod nemini vestrum ignotum est, David defunctus ac sepultus est, nec unquam revixit, quando sepulchrum eius est apud nos in hodiernum usque diem, nihil aliud habens quam ossa defuncti ex anima siccaque. Proinde vaticinium hoc non de seipso prodidit David, qui sciebat sese more caeterorum se peliendum, et corrumpendum in sepulchro iuxta corpus. Caeterum quum esset afflatus propheticō spiritu, neque nesciret futurum, quod Deus ip̄si iure iurando confirmasset, videlicet, ut Christus iuxta carnem ex ipsius lumbis existeret, ac iuxta spiritualem sensum sederet super thronum eius, regnaturus in aeternum: praescius vaticinatus est de his, quae nunc videbis in Iesu Nazareno peracta, qui fine controversia iuxta carnem genus duxit a stirpe familiaque David. Porro quum constet Iesum in hac vita nihil affectasse regni mundani, nec unquam sedisse in folio David, sed extrema fuisse affectum ignominia, liquet, aliud quoddam regnum fuisse promissum, cuius nullum esse finem pronuntiant oracula prophetarum. Non potuit sedere in folio David, si semel occisus nunquam revixisset. Resurrexit igitur, et nunc sedet in folio David, hoc est patris aeterni, dominus omnium quae in coelis sunt et quae in terris. Hoc nimirum erat, quod David afflatus fatidico spiritu praedixit, et quod praedixit factum est. Quamquam enim anima Iesu descendit ad inferos, non tamen illic detenta est, sed detentas potius liberavit. Ita corpus illius tametsi sepulchro conditum est exanime, tamen illic non computruit, sed



Deus, qui mentiri nescit in promissis, animam ab inferis revocatam restituit in corpus. Huius rei nos omnes,³² quos hic videtis adstantes, testes sumus, qui familiariter cum illo viximus, qui frequenter ab illo audivimus, quod et crucifigendus esset iuxta prophetas, et tertio die resurrecturus. Mortis et spectatores et auditores nos fuimus, resurrectionis testes nos sumus, quibus frequenter apparuit, non solum visus et auditus, verum etiam manibus contrectatus. Agnovimus vocem, agnovimus faciem, vidimus et contrectavimus vestigia vulnerum. Denique cibum una nobiscum ceperit, ut verum et idem corpus esse sciremus, quod conditum erat in sepulchro. Itaque qui per homines de-³³iectus erat usque ad extremam ignominiam, hunc Deus extulit in fastigium aeternae gloriae, quam olim patet faciet universis hominibus in fine mundi, nunc interim virtutem divinam apud vos exferens occulta vi spiritus sancti, quam a patre nobis promiserat, quum adhuc ageret in terris. Hunc reversus in coelum, illinc nobis largiter effudit iuxta prophetam Iohannis. Et hinc est illud miraculum vobis insolitum, quod videtis et auditis nos loquentes linguis, quas vos ex diversis linguis conflati pariter intelligitis. Porro quemadmo-³⁴dum prophetia resurrectionis non potest accipi de David, sicuti docuimus, ita quod de ascensu in coelum, deque confessu ad dexteram Dei patris, deque regno perenni praedictum est, non potest ad David pertinere, quemadmodum ipsi pharisei confessi sunt, cum domino disputantes. Neque enim David unquam ascendit in coelum redivivus. Et tamen ille spiritu propheticus afflatus, sic loquitur in psalmo mystico: *Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Ita-³⁵que palam est, in hac prophetia sermonem esse Dei patris, qui Iesum filium David iuxta carnem, dominum iuxta spiritum, evexerit in coelum, et ut regni confor-



36 tem sibi assidere iusserit. *Itaque pro comperto habeat
hoc universa gens Israëlitica, quod Deus hunc Iesum
Nazarenum, quem vos sustulistis in crucem, evexerit
ad regnum coeleste, quodque illum exhibuerit, et do-
minum universorum, et Messiam, hoc est, unctum il-
lum, quem vos nomine Messiae, tot seculis promis-
sam a prophetis, exspectatis.* Haec oratio Petri ter-
37 rorem iniecit animis auditorum. Erant sibi consci*i*,
quod apud Pilatum clamassent: *crucifige, crucifige,
crucifige eum*, et agnoscunt ex prophetia datum illi
regni consortium ad dextram patris, donec omnes ini-
mici eius subiicerentur scabello pedum illius. Ultorem
metuunt iam regnantem, quem occiderant benefacien-
tem. Est autem hoc initium salutis, agnoscere culpam,
et formidare commeritam poenam. *Itaque corde com-
pundi, dicunt Petro, ac reliquis apostolis: Quid fa-
ciemus viri fratres?* Bene res habet, quum animus si-
bi male conscius non desperat, sed quaerit remedium.
38 Hic Petrus mansueti pastoris imaginem exhibens, quid
facit? Non saevit convitiis, non exaggerat admissum,
non repellit ac differt, non praescribit victimas et ho-
locausta, sed compunctis paratum ostendit remedium,
nihil distinguens inter eos, qui Iesum cruciferant, et
inter eos, qui non consenserant impio facinori. Nul-
lus enim erat immunis a peccato. Ait itaque: *Pot-
niteat vos vitae superioris, et tingatur unusquisque ve-
strum aqua in nomine Iesu Christi, et huius gratuito
beneficio dabitur vobis remissio omnium peccatorum
vestrorum, deinde puris ac purgatis dabitur donum
spiritus sancti, quod videtis effusum in nos.* Ne quis
39 expendat sua merita, gratuitum est totum quod datur,
tantum adsit fiducia. Ad vos posterosque vestros pe-
culiariter pertinet prophetia Iohannis, quos filios et filias,
quos servos et ancillas appellat. Credite promissori
Deo et accipite gratis quod promissum est. Nec ad
vos tantum, qui estis gentis Israëliticae, pertinet pro-



missio prophetiae, verum etiam ad omnes gentes, quae procul absunt simul et a cognitione generis Israëlitici, et a cognitione Dei, quoscumque dominus Deus noster ex sua bonitate dignabitur advocare ad huius doni consortium. Indicavit et hoc prophetia, subiiciens: *Et omnis, qui invocaverit nomen domini, salvus erit.* Nec invocat autem quisquis dicit, domine, domine, sed qui in huius misericordia spem omnem salutis collocat. Praedictum est idem ab aliis prophetis, fore ut evangelicus sermo penetraret usque ad terminos orbis terrarum. Mandavit et nobis dominus Iesus, ut vobis primum annuntiaremus hanc gratiam, deinde gentes ad eamdem vocaremus. Siquidem haec vocatio non est ex meritis hominum, sed ex gratuita benignitate Dei. His aliisque plurimis verbis Petrus testificatus est ⁴⁰ illis de Christo, proferens testimonia prophetarum, et cum his conferens ea quae iam evenerant. Doctrinae addidit exhortationem, quo magis exstimularet haesitantes. Agite fratres, inquit, amplectamini tam insignem, tam obviam Dei erga vos benignitatem. Notis querelas omnium prophetarum de perversitate, de duricie gentis iudaicae, qua semper sese praebuit rebellum domino Deo suo, atque huius ministris ad salutem ipsorum missis. Quoties restitit Mosi? Quot prophetas occidit? Quoties suis sceleribus provocavit iram Dei? Unde iure *domus exasperatrix* appellatur, ac *yitis conversa in amaritudinem*, *quae pro dulcibus uis dedit cultori suo labruscas.* Questus est idem Iohannes, appellans illam *progeniem viperarum.* Neque raro idem questus est dominus Iesus, offensus invincibili perversitate multorum, qui videntes non videbant, audientes non audiebant, intelligentes non intelligebant. Salutiferam doctrinam adsperrabunt, beneficia miraculorum tribuebant spiritui Beelzebub. Proinde nationem perversam appellavit, et incredulam, cui flens exitium denuntiavit, quae caederet, lapidaret,



crucifigeret omnes a Deo missos. Subducite vos, fratres, ab imminente vindicta Dei, exuite perversitatem iudaicae gentis, quae dum suam iustitiam tuetur, impia rebellat iustitiae Dei. Per fidem ac simplicem obedientiam est parata vobis omnibus salus aeterna. Tum detum eritis veri Israëlitae, tum eritis germani filii Abrahæ, tum eritis vere Judæi, si regem vestrum Iesum agnoveritis. Eximite vos a generatione ista carnali, quae per suam incredulitatem perire mavult, quam servari. Vos renascamini in nationem spiritualem ac coelestem, quae servatur per fiduciam erga Iesum. Haec nimirum erat eloquentia piscatoris, non ex praecepsis rhetorum comparata, sed coelitus infusa, et ideo potens et efficax. Hic erat ille gladius, qui pertingit usque ad dissectionem animæ et spiritus, cuius acie compuncta sunt corda Judæorum. Hic est primus iactus retis, quo piscator hominum traxit copiosam multitudinem. Hoc erat semen ubique spargendum evangelici sermonis, quod iuxta doctrinam Iesu non descendit in animos omnium, et tamen hic protinus reperit terram bonam, quae fructum edidit. Baptizati sunt enim et appositi numero discipulorum, qui tum erant perpauci, fere ter mille. Hi nimirum sunt evangelici proventus felices primitiae. Res novi testamenti hic quoque congruit cum figura veteris. Moses quinquagesimo a pascha die iussit celebrari primitias. Hic quinquagesimo die non spicarum, sed animarum primitiae domino consecrantur. Iam aqua per doctrinam ac fidem purgarat ab omnibus peccatis, iam haustrus erat coelestis ille spiritus. Nunc considera, quid agat in illis spiritus divinus, nec enim est otiosus, quem sit igneus. Data est gratis innocentia, gratis data spiritus sancti gratia. Supereft ut curemus, ne quod gratuitò largitus est Deus sua bonitate, nos nostra incognititia perdamus. Haec rudimenta sunt evangelicae pietatis, haec est velut infantia primæ regenerationis

in Christum. Quod hactenus traditum est, doctrinae⁴² lac est, proficiendum est ad solidum cibum. Utrumque cibum debent habere paratum evangelici pastores. Sic enim mandarat illis dominus: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos, docentes eos servare quaecumque praecepi vobis.* Docete baptizandos evangelicae philosophiae rudimenta, quibus nisi quis crediderit, frustra tingitur aqua. Docete baptizatos, ut iuxta doctrinam meam viventes, semper ad perfectiora proficiant. Itaque qui se iunxerant numero discipulorum, perseverabant in doctrina apostolorum; nam hinc profectus est uberrimus, atque in sumendo symbolo foederis nunquam rumpendi, quam illi communionem vocabant. Id a domino traditum erat huiusmodi. Frangebatur panis, et ex eo cuique dabatur particula, atque hoc agentes in memoriam dominicae passionis, agebant gratias divinae benignitati, qui per unici filii sanguinem ipsos expiasset a peccatis, qui per eiusdem indebitam mortem ipsos cooptasset in haereditatem vitae aeternae. Addebat puras preces, quibus rogabant, ut regnum domini Iesu in dies latius propagaretur, ut illius gloria per universum orbem in claresceret, ut illius voluntati ubique obtemperaretur, ut qui fidem evangelicam semel essent professi, sacra doctrina coelestique gratia quotidie proficerent ad meliora, atque ita concorditer inter ipsos viverent, pacem habentes cum fratribus, ignoscentes iniuriam, si quid esset per humanam fragilitatem admissum, pacem habentes cum Deo, qui se misericordem praebet iis, qui se misericordes exhibent proximo, ut quotidiano numinis auxilio confirmati, subsisterent adversus omnes satanae incursus, donec post longa certamina daretur aeternum praemium. Hae tum erant victimae christianorum. Linguarum miraculum, Petri tam vivida exhortatio,⁴³ tot hominum subita mutatio, tanta vitae novitas efficiebant, ut iam timor quidam corriperet animos omnium



sibi male conscos. Perspiciebant enim, rem non esse conspirationis humanae, sed virtutis coelestis. Siquidem apostoli non solum loquebantur omnium linguis, verum etiam multa prodigiosa miracula patrabant invocato nomine Iesu Hierosolymis, sanandis morbis, profligandis daemoniis, excitandis mortuis. Hic metus ingens magis etiam occupavit animos omnium,

44 Erat hoc aliquod initium resipiscentis populi. Sed ante omnia spiritus ille coelestis mutuam benevolentiam, et concordiam gignebat in omnibus, quos afflaverat. Nimirum hoc peculiari signo Iesus iusserat agnoscere suos discipulos, si mutua caritate conglutinarentur. Quotquot enim crediderant evangelio, frequenter aggregabant se in unum locum, mutuis colloquiis se solantes et exhortantes. Multi erant, citraque delectum personarum admittebantur omnes, iuvenes, senes, foeminae, viri, servi, liberi, pauperes, divites. Tanta vero concordia tam dispares copulabat Christi caritas, insita cordibus eorum, ut, quod inter germanos quoque rarum est, omnia haberent inter ipsos communia. Quoque paratior esset inter omnes communatio, quibus erant praedia, aliaeve possessiones, eas divendebant, atque ex pretio collecto impariebant omnibus, prout cuique erat opus, ita ut nec egerent, qui nihil possidebant, nec abundarent, qui multa possederant. Sic autem largiebantur, non quasi de suo, sed quasi de communi. Nam vera caritas nescit rerum proprietatem, nec inter illos videtur suae quisque rei dominus, inter quos idem est animus. Vix autem illic incidere potest egestas, ubi quisque paulo contentus est, et ex communi singulis distribuitur, non pro libidine, sed pro necessitate. Nihil horum praescribebant apostoli, sed ultro praestabat caritas, plus quam

45 **46** ulla Mosi lex exigere est ausa. Quin et in templo quotidie magno animorum consensu perseverabant deprecantes, gratias agentes Deo, ac mutua confabulatione



latione semet exhortantes, aliosque quoscumque pos-
sent ad evangelicum foedus allicientes. Deinde toto 47
die talibus studiis peracto, per singulas domos frange-
bant panem, atque invicem capiebant cibum, incre-
dibili gaudio, ac sincerissima simplicitate cordis col-
laudantes Deum, cuius beneficio tantam gratiam erant
consequuti. Apud universam vero plebem erant favo-
rables et gratiofi. Quis enim non amaret homines
innoxios, omnibus benefacere paratos, in quibus vide-
bant tantam Dei virtutem, cum tanta modestia tanta-
que lenitate coniunctam? Annotabis hic, Theophile,
exordium ecclesiae ex concordia et gaudio feliciter sum-
fisse auspicia. Non potest non esse concordia, ubi est
spiritus ille pacificator omnium. Non potest non esse
gaudium, ubi pura est conscientia, et certa de pro-
missis evangelii fiducia. Caeterum ut in perdendo Iesu,
nisiquam non adsunt pontifices, pharisei, scribae et
primores populi, ita hic in felicibus auspiciis nascentis
ecclesiae nulla horum mentio. Nullus ad hoc contu-
bernum coactus venit, nulla vis continebat eos in foe-
dere. Sponte perseverabant, qui accesserant, et do-
minus in dies alios atque alios attrahebat, quos destina-
verat ad salutem, paulatim emergente grano finapis,
late suos ramos sparsuro per orbem universum.

CAPUT III.

Simul autem cum aliis Petrus et Ioannes adscende-
bant in templum ad horam vergentis iam diei nonam,
qua quum alii vel ludere soleant ebrii, vel dormire, illi
consueverant sacris precationibus vacare, ieunantes us-
que ad vesperam. Procedebant duo proceres ordinis
apostolici, nullis equis aut mulis, nullo satellitio re-
gio, sed audi pompam apostolicam. Sedebat pro tem-
pli foribus quidam populo notissimus mendicus, qui 2
Tom. III. D

fuerat claudus ab utero matris. Tantum autem erat corporis vitium, ut a baiulis gestaretur. Huius calamitas, ut fit, multos alebat. Nam eum ad quae-
stum exponebant quotidie ad portam templi, quam vulgus speciosam vocat, ut ab ingredientibus; nam haec erat frequentissima, peteret eleemosynam. Habet suum ingenium mendicitas, novit eos, qui templum ingrediuntur aut sic esse affectos, ut libentius dent eleemosynam, aut sic affectos videri velle. Is ubi vidisset Petrum ac Ioannem ingressuros templum; comitatus autem indicabat illos esse alicuius pretii, et vultus ipse benignitatem p[re]se ferebat, petebat ab eis eleemosynam. Hic spiritus sanctus submonebat apostolos,
3 adesse tempus edendi miraculi. Itaque Petrus una cum Ioanne defixis in claudum oculis, ait illi: Ad-
4 spice in nos. Ad intuitum ad hanc vocem factus ala-
crior mendicus, intendebat oculos in illos, sperans futurum, ut aliquid ab illis acciperet. Stipem flagi-
tarat, stipem exspectabat, integritatem membrorum non ausus est emendicare, quia non sperabat illos pos-
se dare. Et tamen animus illi nescio quid bonae rei praesagiebat. Tum Petrus magnificam illam ac vere summo Christi vicario dignam vocem edidit, dicens:
5
6 Argentum et aurum, quod tu exspectas, non est apud me. Quod autem non ex meo, sed coelesti benignitate ad manum est, quoque tu magis eges, hoc tibi
7 do. *In nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula. Simulque apprehensa dextra claudi subleyavit eum.*
8 Nec mora, protinus consolidatae sunt plantae eius at tali, sic ut non aegre assurgeret, sed exsiliens consisteret pedibus suis et ambularet, quocumque vellet. At ille laetus tam insperato beneficio, una cum apo-
stolis ingressus est templum, ambulans alacriter ac prae gaudio saliens, ac gestiens, *Deumque laudans*, unde noverat hoc beneficium esse profectum. Dei be-
neficia celare, ingratitudinis est, homini adscribere,



impietatis est. *Totus autem populus*, qui frequens 9
aderat in templo, *conspicatus est hominem* a baiulis
gestari solitum, nunc *ambularem alacriter suis pedi-*
bis, ac laudantem Deum. *Agnoscebant autem illum* 10
omnes, esse eundem hominem, qui quotidie solitus es-
set sedere ad portam speciosam mendicandi gratia. Vi-
dent subito mutatum. Audiunt agentem gratias Deo.
Quibus ex rebus vehemens quaedam admiratio stupor-
que corripuit animos omnium. Porro quum viderent 11
Petrum et Ioannem, qui tum ut apostolorum primores
plerisque innotuerant; nam his adhaerebat, qui fuerat
claudus, et per hos sibi contigisse praedicabat sanit-
atem, factus est totius populi concursus ad illos. Erat
autem in portico, quae dicitur Solomonis, in qua soli-
tus est versari Iesus, verus ille Solomon, et in qua non
nunquam disputarat cum phariseis. Rei novitas omni-
um animos perculerat. Petrus ubi videt populi con- 12
cursum, nec ignoraret causam, rursus hunc in modum
exorsus est dicere: *Viri Israëlitae, cur super hac re-*
tantopere vos habet admiratio, quasi vobis sit infre-
quens ac rarum videre miracula, aut quasi non maiori-
ra videritis superioribus temporibus? Nos vero cur in-
tuemini, quasi nostra vel virtute, vel pietate fit effe-
ctum, ut hic claudus vobis omnibus notus nunc ambu-
let? Non est humanum negotium, quod geritur, ne-
que novum est, quod videtis, sed olim per prophetas
vestros a Deo promissum. *Vos religiose colitis Deum* 13
Abraham, Deum Isaac, et Deum Iacob, quos gloria-
mini vos habere patriarchas, ac generis auctores. Sed
huius Dei, a patriarchis culti, filium, ad vos vestrae
salutis causa missum humili specie, quo magis eum am-
plete remini, similem vobis factum, affecistiis extrema
contumelia. Caeterum ille filium suum humana mali-
tia deiectum, sua virtute glorificavit, ut multis aliis
modis, ita hoc quoque facto, per illum sub oculis ve-
stris edidit innumera miracula, docuit coelestem do-

D 2



¶ 4 & trinam. His tantis beneficiis vos nihil commoti, post multas contumelias tandem tradidistis illum in manus impiorum, ut occideretur. Quumque Pilatus homo ethnicus, et a cognitione legis et cognatione patriarcharum alienus, pronuntiasset illum absolvendum, ut regem vestrum, ut virum sanctum ac iustum, vos, qui ex prophetis debebatis illum agnoscere, palam et constanter abnegastiis eum apud praetorium praefidis, dicentes: *Non habemus regem nisi Caesarem.* Tan-
toque odio saevistiis in illum, ut malueritis ad vestram postulationem vita donari Barrabam, latronem et se-
ditiosum, qui vitam aliis abstulerat, quam Iesum, qui
¶ 5 vitam omnibus adferebat. Homicidae impetrastiis vi-
tam, auctorem ac principem vitae immortalis ad mor-
tem adegitis. Sed hunc a vobis interfectum Deus,
auctor omnis vitae, revocatum a mortuis donavit im-
mortalitate. Cuius rei nos testes sumus, quibus sese
redivivum exhibuit conspiciendum, audiendum
et contrectandum, quem et in coelum vidimus
adscendentem. Praecessit humilitas, quam vestra
omnium causa assumerat, nunc subiectus in gloriam
a patre, virtutem suam exserit per nos, qui nihil aliud
sumus, quam testes eorum, quae vidimus et audivi-
mus. Ac per fiduciam, quam habemus in nomine
eius, hunc quem videtis ambulantem, ac novistis fu-
isse claudum natum, Deus restituit integris pedibus.
Nihil hic nobis laudis debetur, neque nostris meritis
tribuendum est, nec huius qui restitutus est, sed ut di-
xi, Deus nomen filii sui voluit esse gloriosum apud
omnes, in quo vult omnes suam ponere fiduciam, et
spem universae salutis. Haec fiducia restituit huic, ex
nativitate debili, membrorum integritatem in conse-
ctu omnium vestrum. Haec non solum arguunt illum
esse vivum, quem putatis mortuum, verum etiam de-
clarant, omnem salutis spem in uno illo collocandam.
¶ 7 Nec est quod desperetis, fratres, permisso confilioque



divino sic factum est. Peccatum vestrum aliqua ex parte excusat ignorantia humana. Corporis enim imbecillitas obstabat, quo minus agnosceretis illius divinam potentiam, quam ne principes quidem vestri perfecte noverant. Quam si pernovissent, nunquam induxissent in animum, omnis gloriae principem in crux suffigere. Sic expediebat humani generis saluti,¹⁸ sic Deus ab aeterno definierat, sic per os prophetarum omnium praedixerat, futurum ut Messias, quam redimendis vobis postremo missurus esset, extrema pateretur. Non est mendax Deus, quem promiserat se missurum, misit. Quem voluit occidi, sic ut voluit occisus est. Hanc victimam voluit immolari peccatis omnium expiandis, per vos immolata est, non sine culpa vestra, sed quae sit remittenda, si modo poeniteat erroris. Ita fiet, ut quod omnium bono peccastis, vobis quoque cedat in bonum. Est autem facilis ac parata venia. Tantum poeniteat¹⁹ malefactorum, non huius tantum sed omnium, et ad vitae novitatem convertamini. Iesum quem prius negastis, profiteamini regem ac principem universorum, quem ut nocentem damnastis, agnoscite omnis innocentiae fontem et largitorem, quem ad mortem adegdistis, credite immortalitatis auctorem. Nunc veniae²⁰ tempus est, properate interim ad poenitentiam, et invenietis misericordiam, ut quum denuo venerit iudicatus vivos et mortuos, et pater quem semel misit humiliam vestra causa, denuo miserit sublimem in nubibus, bona fiducia sustineatis faciem illius, quae terribilis et intolerabilis erit his, qui non egerint poenitentiam. Caeterum qui interim credentes in nomen Iesu, quem et prophetae vobis ante multos annos praedicarunt, et nos iuxta prophetarum vaticinia de illo testificamur, poenitentia deletis peccatis, per fidem illi sese subiecerint, illic refocillationem invenient a iusto iudice, qui per poenitentiam ac fidem in ipsum

D 3



21 promisit salutem omnibus. Hactenus peracta sunt, quaecumque peragenda prophetae praedixerant. Nec dubitandum est, quin simili fide Deus praefititus sit et reliqua omnia, quae pollicitus est. Rediturus est Iesus Christus, at non statim redditurus est. Oportet enim prius per universum orbem praedicari evangelium Dei. Interea ille gloriatus vivit, sedet ac regnat in coelis usque ad tempus illud, de quo praedixit Iobel et Malachias, quo restituentur et consummabuntur omnia, perfectis cunctis, quae Deus loquutus est per os sanctorum prophetarum suorum omnium, quotquot a seculo fuerunt. Omnes enim de hoc uno vaticinati sunt. Mosis
22 gravissima est apud vos auctoritas. Siquidem hoc duce reliquistis Aegyptum, peragristis desertum, acceptistis legem. Atqui is vobis hunc Iesum Nazarenum, quem occidistis, promisit, ita loquens in libro Deuteronomii: *Prophetam excitabit vobis dominus Deus vester e fratribus vestris, mei similem, ipsum audietis in omnibus, quaecumque loquutus fuerit vobis. Futurum est autem, ut quisquis non audierit prophetam illum, exterminetur e populo.* Agnoscite Mosi vaticinium, agnoscite verum Mosen, agnoscite Iesum Christum, natum e stirpe David, e tribu Juda in civitate **23** Bethlehem, iuxta prophetarum oracula. Hoc duce Deus vocat vos in libertatem aeternam, per hunc desert novam legem spiritualem et evangelicam, per hunc offert remissionem omnium peccatorum ac salutem aeternam. Hunc ab omnibus vult audiri. Audit autem quisquis credit. Quicumque crediderit, salvus erit, qui cumque recuset credere, eiectus e consortio nomineque Israëlitarum, peribit irrecuperabiliter. Extra Iesum
24 enim nulla est salutis spes. Si creditis Mosi, amplectamini Iesum, quem ille vobis commendavit suo vaticinio. Nec ille tantum de Iesu vaticinatus est, verum et omnes prophetae a temporibus Samuelis usque ad Ioannem Baptistam vaticinia prodiderunt, descri-



bentes illius nativitatem, doctrinam, miracula, afflictiones, ignominias, crucem, sepulturam, resurrectionem, ascensum in coelum, emissionem sancti spiritus in universos credentes, quorum nihil non videtur esse factum, propagationem evangelii per universum terrarum orbem, dominique redditum gliosum ad consummationem mundi. Quod si estis filii propheta-²⁵ rum, de quo non iniuria gloriamini, ne diffidite promissis illorum; si filii patriarcharum, intelligite ad vos pertinere pactum, quod Deus pepigit cum Abraham, dicens: *Et per semen tuum benedictionem consequentur omnes familiae terrae.* Hanc benedictionem non praestitit in Isaac, qui mortuus est, nec revixit, sed in Iesu Nazareno, cuius typum gessit Isaac, sponte semet offerens ad immolationem, quemadmodum Christus obediens patri mactatus est in cruce. Hoc est semen Abrahae, per quod non tantum omnes Israëlitae, verum etiam omnes totius orbis nationes, si crediderint evangelio, liberabuntur a maledictione peccati, et hanc benedictionem consequentur, ut accepto coelesti spiritu, vocentur filii Dei viventis. Ergo promissio²⁶ Dei pertinet quidem ad omnes mundi nationes, sed tamen hoc honoris vobis haberi voluit, ut vobis primis omnium offerretur, ac iuxta Mosi prophetiam de gente vestra suscitaret ac mitteret vobis, non quemlibet prophetam, sed unicum filium suum Iesum, qui deferret benedictionem Abrahae promissam a Deo. Hacc est autem benedictio, ut unusquisque parens evangelico sermoni, convertat sese a malitia sua, ac Iesum salutis auctorem profiteatur.

CAPUT IV.

Dominus Petrus coelestis orator, et Ioannes illius collega, his atque huiusmodi sermonibus exhortarentur po-

D 4



pulum ad amplectendum evangelium, nemini palpan-
tes, suadentes testimonio prophetarum, terrentes for-
midine futuri iudicii, rursum lenientes ac pellicientes
facilitate paratae veniae, ac certitudine promissae sa-
lutis, colloquium salutiferum interrumpunt superven-
nientes sacerdotes ac magistratus templi, cumque his

2 sadducae. Sacerdotes ac magistratus hoc habebat
male, quod homines idiotae in templo regnarent, ac
docerent populum, in quo non oportebat loqui nisi
rabbinos, pharisaeos, ac scribas, quodque tam magni-
fice praedicarent de Iesu, quem ipsi veluti nocentem
ad mortem adegerant, cuius nomen abolitum esse cu-
piebant. Sadducaeos autem illud peculiariter urebat,
quod praedicarent Iesum a morte revixisse, quodque per
hunc omnibus pollicerentur resurrectionem. Nam sad-
ducae nec angelos esse credunt, nec animas a morte
corporis superstites. Proinde mentionem resurrec-
tioneis non ferunt. Hic rursus oritur pugna pontificum
impiorum adversus evangelium, quod Iesus suis disci-

3 pulis praedixerat fore. Sed quemadmodum malitia,
quo magis oblixtata est, hoc magis illustravit gloriam
Iesu: Ita quo magis rebellant adversus evangelii praec-
cones, hoc vehementius erumpit vis evangelici sermo-
nis. Quid fit? Non disputatur, sed iniiciuntur ma-
nus in apostolos. Pertrahuntur in carcerem, produ-
cendi in diem crastinum. Tum enim appetebat vespe-
ra. Non deerat impia voluntas sacerdotibus, inibi sta-
tim occidendi discipulos Iesu. Sed obstat rursum me-
tus populi, et quaeritur praetextus nefario Iceleri, ut
quod facerent, iure facere viderentur. Sed quemad-
modum in Christum nihil valuit illorum malitia, nisi
posteaquam ipse mori voluit: Ita in Christi discipulos
nihil poterit illorum conspiratio, prius quam veniet il-
le dies, quem cuique praescripserat coelestis pater.

4 Christus enim erat in apostolis. Nec tamen fuit in-
frugifera concio duorum apostolorum, licet interrupta



per sacerdotes. Multi siquidem ex his, qui sermonem apostolicum audierant, persuasi crediderunt. Crescit sagena, dilatatur granum sinapis, spargit se vis evangelici fermenti. Iam enim numerus credentium accreverat usque ad quinque virorum millia. Agnosce popularem esse rem evangelium, quicum raro convenit huius mundi magnatibus. Agnosce successum evangelicum. Primores ducuntur in carcerem, nec oblitantur ipsi, nec tumultuatur populus, nihil aliud dominus, quam obedire et fidere Christo. Postridie coit sceleratum concilium, nusquam concors, nisi ad perendum Iesum, et ad opprimendam veritatem. Conveniunt sacerdotes cum templi magistratibus, simulque populi seniores cum scribis Hierosolymitanis. Ad haec Annas summus pontifex, et Caiaphas ob affinitatem huic adhaerens, praeterea Ioannes et Alexander, tum inter sacerdotes praecipui, denique quotquot erant ex genere sacerdotali, in quo tum quo quisque erat auctoritate superior, hoc erat sceleratior. Atque haec ipsa primorum tam anxia diligentia satis arguit, rem non esse vulgarem, in qua coercenda tam sunt solliciti. Quid enim est, quod sibi metuant a paucis, obscuris et indoctis, hominis damnati et crucifixi discipulis? Producuntur e carcere Petrus et Ioannes, statuuntur in medio tamquam rei. Quis idiota non obstupesceret conspecto concilio tam frequenti, tamque magnifico? Magno fastu confidebant pontifices et sacerdotes religionis proceres, tum magistratus, deinde seniores populi, nihil aberat auctoritatis. Inclemantium vero et iniquitatem iudiciorum iam viderant in praceptorum suo Iesu. Et tamen adstant serenis et intrepidis vultibus. Ni mirum dominus Iesus illis haec omnia praedixerat eventura, et animos illorum adversus huiusmodi causas armaverat. Hic mihi rursus agnosce exemplum eius iudicii, quo damnatus est Iesus. Interrogatione captus est. Percunctantur igitur et hi de clando re-

D 5



stituto: *Qua virtute, aut quo nomine facitis istud?* Poterant hoc in templo sciscitari, prius quam eos ducerent in carcerem, poterant cum ipso populo didicisse, quandoquidem Petrus huius facti dilucide reddidit rationem. Sed maluerunt auspicari a contumelia. Nec post quaeritur veritas, sed laedendi captatur occasio. Erat hoc argumentum mox desituri sacerdotii, quum pleni vitiis nihil haberent, quo tuerentur auctoritatem suam, nisi coniurata concilia, carceres et mortes. Quid hic agit Petrus ille, qui ad minas mulierculae ancillae ter abiuravit dominum? Num expavescit? Num obortis tenebris obstupescit? Num vox fauibus haeret? Nihil horum. Quid ita? Nimirum aliis erat factus. Tunc humano ductus spiritu, pollicebatur ingentia, ac mox oblitus temere promissorum, fugit et peieravit. Hic autem plenus spiritu sancto, fortiter atque ex tempore causam peroravit, admirabili prudentia temperans orationem, ut nec libertas exiret in convitium, nec lenitas saperet adulacionem aut metum, sed huc tenderet totius dictionis apparatus, ut per Iesum salus contingeret omnibus. Petrus itaque hunc in modum loquutus est. Principes populi et seniores audite: Evidem demirabar, quamobrem esse mus iussi duci in carcerem, quum nobis nullius essemus facinoris consci, quandoquidem principes non nisi ob malefacta solent homines in carcerem ducere. Nunc si, ut video, nullum crimen intenditur, neque maleficium obiicitur, sed de beneficio collato in hunc hominem antea debilem et contractum, nunc sanum et integrum, examinamur, non gravabor vobis reddere rationem. Est enim hoc nostri munera, omnibus placide reddere rationem de fide evangelica, si quis cupiat discere. Proinde notum fit hoc omnibus vobis, qui primores estis, nec vobis tantum, sed et universo populo Iudaico; quod enim docemus, ad omnium salutem pertinet, sive principum, sive plebeiorum,



quod hic quem videtis adstare nobiscum membris integris ac sanis, quum omnibus notum sit, antehac a baulis gestari solitum, beneficium hoc nec arte magica, nec humana virtute, nec nostris meritis fuerit consequutus, sed per invocationem domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos ante dies paucos per Pontium Pilatum adegitis in crucem. Verum hunc Deus suscitavit a mortuis, et immortalitate donatum praefecit universis. Itaque nunc nominis illius vis idem agit in sanandis et servandis hominibus, quod ipse praesens agere consuevit in terris. Nimirum hoc est, quod **11** praedixit psalmi prophetia de lapide ab hominibus reiiciendo, sed a Deo subvehendo. *Hic est enim lapis ille, qui reprobatus est a vobis aedificantibus synagogam.* Unde vos illum ceu reprobum eieciatis, sed a Deo factus est caput anguli, suo robore totum aedificium ecclesiae, ex utroque populo gentium et Israëlitarum aedificandae, complexurus. Per hunc pater **12** coelestis offert salutem omnibus, nec est cuiquam ulla salutis spes, nisi per Iesum. Scio apud vos gravem ac sacrosanctam esse auctoritatem Mosi, patriarcharum et prophetarum. Sed ita visum est patri, ut per solum filium suum omnibus sit parata salus, unde et Iesum appellari voluit. Nec enim datum est aliud nomen sub coelo, nec dabitur aliud, per quod oporteat salvos fieri. Non est igitur quod miremini, tantum in hoc clando valuisse nominis huius invocationem, quum huius virtute sit parata salus aeterna omnibus ipsum invocantibus. Haec ubi loquutus est Petrus, **13** quotquot erant in eo concilio, perspecta libertate constantiaque Petri et Ioannis, quae fese ipso etiam vultu proferebat, compertoque, (*) quod homines essent illiterati ac plebeii, admirabantur, unde tantum fiduciae, unde tantum eloquentiae, unde prophetarum cognitio. Denique coeperunt eos agnoscere, quod fuisse affectatores Iesu, quem per invidiam occisum fu-

(*) Aliae legunt: *iamque compreissen*t.



isse, ipsi sibi erant consciit. Magnum scrupum inii-
ciebat animis illorum, tam imperterrita plebeiorum et
illiteratorum hominum libertas, quos nec domini sup-
plicium, nec tam celebris concilii splendor et auctori-
14tas vel tantillum commoveret. Conspiciebant hominaem
ipsum adstare toti populo notum, qui natus insigniter
claudus, iam alacriter ambularet. Res erat peracta
subito, nec in occulto, sed pro templi foribus, non
magicis artibus, sed invocatione nominis Iesu, quem
illi iam putabant extinctum. Factum erat evidentius,
quam ut negari posset. Nec erat calumniandi occasio.
Quid enim favorabilius, quam misero gratis dare sa-
nitatem? Nihil itaque respondent apostolis, nec enim
erat quod responderent, quandoquidem quod factum
erat, nec refellere poterant, nec probare volebant.
15 Proinde iussis apostolis una cum sanato e concilio sece-
dere, consultant inter se, conferuntque consilia di-
16centes: *Quid faciemus hominibus istis, quamlibet li-
terarum rudibus ac plebeiis? Quandoquidem hoc in-
signe miraculum per illos editum esse, notius est
omnibus habitantibus Hierosolymis, quam ut inficia-
ri possimus. Si negemus factum, nihil aliud lucrifi-
cieremus, quam impudentiam, si damnamus ac punia-
mus, videbimur inclemtes et iniqui, ac magis etiam*
17 *populum in nos irritabimus. Nihil supereft, nisi ut
mitiore consilio utentes, curemus ne malum hoc ut-
cumque natum, latius serpat ac divulgetur in popu-
lum. Solent enim huiusmodi pestes semel natae, si
exagites, invalescere, latiusque graffari, quam si ne-
gligantur. Consultum itaque videtur, ut abstineamus
a supplicio, sed atrocibus minis territemus eos, ne
posthac cuiquam hominum, neque Judaeo, neque al-
terius nationis verba faciant de nomine Iesu. Haec
sententia, qua nulla dici potuit stultior, placuit toti
concilio, et in hanc itum est pedibus magno consensu.
Iam confixerant constantiam ac fortitudinem aposto-*

lorum. Videbant rem esse notam toti populo, intel-
ligunt nomen illud Iesu tam efficax, tamque salutife-
rum esse. Quanam igitur fronte iubent aut sperant
posse supprimi, praesertim quum ipsis per idem nomen
liceat assequi salutem aeternam? Nimirum talia sunt
consilia principum et pontificum, sacerdotum ac pri-
morum, quoties humano spiritu cogitur concilium.
Sunt et illic nonnunquam, qui quid rectum sit perspi-
ciant, verum id si sequantur, vident paratam iacturam
suae gloriae, dispendium rei, aut aliud huius generis
incommodum. Comprobata suffragiis omnium hac 18
sententia, revocantur apostoli, denuntiatur illis totius
consilii nomine, ne quem mortalium vel clam vel palam,
vel publice vel privatim, vel domi vel foris docerent
Iesu doctrinam, aut omnino mentionem eius nominis
facerent. O stultam mundi sapientiam! Extinctum in
sepulchro retinere non potuerunt, et nomen, quod
semper a morte solet inclarescere, conantur sepelire.
Petrus et Ioannes, ubi magna cum auctoritate recita- 19
tum esset concilii decretum, fortiter quidem, sed ci-
tra contumeliam responderunt: *An iustum sit in con-
spectu Dei vestris iussis obtemperare potius quam Dei,*
vos qui legis praecepta tenetis, iudicate. Sic Deus
per ora prophetarum futurum praedixit, sic Christus
Dei filius nobis praecepit, sic spiritus coelestis, quem
ille se nobis a patre missurum promiserat, animis no-
stris dicit ac suggerit, ut ad salutem omnium praedi-
cemos nomen domini Iesu Christi, testificantes quae
vidimus et audivimus. Si quod rectum est iudicave- 20
ritis, submittetis et vos ipsos iudicio divino, sin secus,
quidquid de nobis statueritis, nos certe non possumus
non loqui, quod oculis vidimus, quod auribus audi-
vimus, et quod Deus omnibus hominibus praeferen-
dus, vult apud omnes praedicari. Hoc responso tam 21
masculo, tamque libero accepto, consultores illi ni-
hil aliud quam minitantur, ac territare conantur.



O deploratum concilium! Non habent argumenta, quibus persuadeant, non habent rationes, quibus coarguant, non habent testimonia scripturarum, quibus doceant. Tota auctoritas in minis est. O semper timidae impiorum conscientiam. Cupiebant punire innocentes, aderat perversa voluntas, sed principes metunt plebeios, magistratus privatos, tam multi paucos, armati inermes, docti indoctos. Non habent apostoli satellitum, non coniuratos dignitatum ordines. Sed habent quiddam, quod nulla potestas mundi praestare valet: *In nomine Iesu surge et ambula.* Ad beneficiendum potentes sunt, ad laedendum inermes. Itaque apostoli ex eo concilio tum quidem dimissi sunt, minis onusti. Non enim primores deposuerant animi malitiam, sed differebant, occasionem aliam venaturi. Non enim inveniebant rationem puniendi eos, idque ob populum, quem Deo contemto metuebant.

22 Omnes enim laudibus vehebant id, quod factum erat in sanando claudio. Et hoc factum apud omnes erat evidentius, quod is, in quo proditum est hoc miraculi, natu maior esset annis quadraginta. Sic natus erat, et tot annis ostentarat mendicus suum malum, ut nemo calumniari posset, vitium fuisse simulatum aut le-

23 ve. Petrus autem et Ioannes dimissi a concilio redierunt ad suos, congregatos in coenaculo, iam de evenitu sollicitos, atque illis exposuerunt rem omnem ordine, quid obiecissent principes, quid ipsi respondissent.

24 Hic vero mutua caritas gaudia cumulavit. Gaudebant discipuli dimissos apostolorum proceres. Gaudebant apostoli, gaudium hoc discipulis benignitate domini contigisse. Sic Deus omnia temperat suis famulis, ut laeta tristibus misceat, quo possint sustinere, utque vicissim pro laetis agant gratias, pro tristibus dominum deprecentur. Coetus itaque posteaquam audisset narrationem apostolicam, magno consensu sustulit voces suas ad dominum, cuius beneficio coepisset succedere

res evangelica, dicens: Domine, Deus omnipotens,
qui verbo tuo condidisti coelum, terram ac mare,
et quidquid in his est, cuius sanctissimae voluntati nul-
la vis hominum potest resistere, cuius aeterna decreta,²⁵
nulla potest hominum conspiratio labefactare, quod
nunc fieri videmus, hoc olim spiritus tuus sanctus per
os patriarchae nostri David tui cultoris proloquitus
est futurum, dicens: Quare fremuerunt gentes, et po-
puli meditati sunt inania? Adstiterunt reges terrae,²⁶
et principes convenerunt in unum adversus dominum
et adversus Christum eius. Agnoscamus fidem vatici-²⁷
nii. Quod ille spiritu tuo afflatus vidi futurum, hoc
nos re ipsa et factum et fieri videmus. Vere enim in
hac civitate, quae pietatis habet professionem, adver-
sus omnis pietatis magistrum ac ducem sanctum filium
tuum Iesum, quem tu unxerasunctione coelesti, con-
venerunt terreni reges Herodes et Pontius Pilatus, una
cum gentibus et populis Israël, impiis consiliis agitan-
tes, ut ea facerent, quae tu invincibili virtute tua, et
aeterno consilio tuo decreveras, ut ad salutem humani
generis fierent. Quisquis autem conspirat adversus fi-²⁸
lium tuum Iesum abs te missum, is conspirat adversus
te. Et ecce rursus coit concilium frequens primorum
adversus sanctum nomen filii tui Iesu. Tu vero, quem-²⁹
admodum Iesum ab illis interfectum excitasti a mor-
tuis, et in coelos ad regni consortium subvexisti, irri-
fis illorum conciliis, ita nunc quoque adspice in minas
illorum, ne praevaleant, sed da seryis tuis robur ac fi-
duciam, ut summa constantia proloquantur sermonem
evangelicum, qui tuus est, non hominum, nimirum
nobis abs te per filium tuum delatus in terras. Et³⁰
quemadmodum claudi sanati miraculum plurimos at-
traxit ad professionem nominis Iesu, coniuratos autem
adversus Iesu gloriam principes terruit, ita et in po-
sterum adfit illis manus tua omnipotens, ut sanandis et
aliis, ac similibus miraculis et prodigiis edendis per-



nomen sanctum filii tui Iesu, clarius ac latius elucescat evangelii tui gloria, frustra frementibus his, qui tibi tuoque filio rebellant. *Haec quum unanimiter effsent precati, commotus est locus, in quo erant congregati.* Nam eo signo dominus indicabat preces ex auditas, ac vota rata fore. Nihil enim tam efficax, quam deprecationis consentientis ecclesiae. Siquidem magna vis fit oportet, quae terram immobilem concutiat. Non erat hoc inane signum, illico renovatus et auctus est in omnibus vigor sancti spiritus, adeo ut non solum ob minas principum non celarent evangelicam doctrinam, verum etiam liberius ac fortius, atque etiam plures quam ante praedicarent nomen domini Iesu. *Haec est enim natura profectus evangelici, ut sicuti crocum et alia nonnulla per iniuriam felicius proveniunt, ita adversus opprimentem mundum magis 32 insurgat et eluctetur.* Iam intra paucos dies accreverat ingens numerus profitentium nomen Iesu. Et ut intelligas hanc conspirationem non esse humanam, inter tam multos nulla erat ambitio, nulla invidia, nullae rixae, nulla contentio, sed tantus erat consensus, tanta tranquillitas, ut diceres omnibus esse cor unum, et animam unam. Jam enim desierant suo quisque duci spiritu, qui tam varius est in hominibus, ut aegre reperias duos germanos, qui inter se consentiant. Sed uno spiritu Iesu reguntur omnes. Hinc ille tantus consensus tot hominum aliqui sexu, aetate, fortunis inter se dissimilium, ut non solum illa essent omnium communia, quae sine dispendio impertientis communicari solent; quod genus sunt doctrina, consilium, admonitio, consolatio, exhortatio, verum etiam facultates, quae dispendio possessoris communicantur aliis, et ideo vix invenias, qui sustineant hic esse liberales. Inter hos autem harum quoque rerum tanta erat communio, ut nemo ex his, quae possidebat, vel diceret aliquid esse suum, Proinde



de qui de suis facultatibus impartiebat, nihil gratiae reposcebat ab his, quibus communicabat, quod id, quod dabatur, iudicaret esse eius, cui erat opus, sibique raptor et iniquus videretur, si quid apud se detinuisse, quod fratri egestas postulabat. Apostoli vero, qui³³ huius novae civitatis velut principes erant, inopes rerum, sed spiritus sancti dotibus opulentis, in dies magis ac magis augebant multitudinem, ingenti animi robore, magnaque potentia miraculorum testificantes de resurrectione domini nostri Iesu Christi. Hoc enim in primis erat testimonio miraculorum persuadendum. Nam morientem plerique videtant, et sepultum non pauci noverant. Itaque sub fortissimis ducibus novus³⁴ ille populus felicissime degebat, concordia sarciente, quod deerat facultatibus. Quum enim essent plerique tenues, tamen nullus erat inter illos egens. Quotquot³⁵ enim erant possessores agrorum, aut aedium, divendebant, ac pretia rerum venditarum adferebant ac deponebant ad pedes apostolorum, ut illorum arbitrio, quos habebant patrum loco, res communis distribueretur. Porro quanta erat simplicitas in his, qui pretia possessionum suatum adferebant, tanta erat sinceritas in his, qui distribuebant. Rara est inter pecuniarum dispensatores fides. Hic nullo delectu personarum pro cuiusque necessitate distributio peragebatur. In³⁶ hac multitudine erat Ioseph, cui cognomenum ab apostolis additum est Barnabas, quod apud Syros sonat, filius consolationis, genere Levites, patria Cyprius. Hic quoniam magnis dotibus inter caeteros eminebat, unde ob gaudium, quod ex huius accessu contigit multitudini, dictus est Barnabas, multis exemplo fuit, ut evangelicam imitarentur liberalitatem. Quum enim³⁷ haberet in Cypro fundum, vendidit illum, et attulit pretium ac deposuit coram pedibus apostolorum, veluti rem vilem et adspersandam. Tanta autem erat apo-

Tom. III.

E



stolorum sanctitas, ut hinc sibi nihil decerperent praeter caeteros.

CAPUT V.

Quemadmodum autem Barnabae simplicitas multos commovit ad liberalitatis aemulationem, ita paratum est exemplum ad deterrendos omnes, ne quis in negotio spirituali fraudulentiam admisceret. Amat enim spiritus simplicitatem cordis, et odit omnem fucum ac simulationem. Sic inter duodecim apostolos paratum est exemplum Judae, ne sibi quisquam fideret, sed omni sollicitudine perseveraret in officio. Erat autem in hac multitudine vir quidam, nomine Ananias, parum respondens suo nomini, propterea quod ipse parum responderet gratiae Dei. Huic erat uxor nomine Sapphira, marito similis. Ananias igitur, quem videret aliorum simplicem ac spontaneam benignitatem apud omnes laudibus vehi, gloriae studiosior, quam pietatis, vendidit agrum suum, ac pretii portionem aliquam detraxit ac seposuit, idque conscientia et probante uxore, veluti partiens pecuniam, ut altera parte mercaretur laudem et opinionem pietatis, alteram sibi servaret, si qua necessitas incideret; nimis diffidens spiritui sancto, magisque sibi prospiciens, quam fratrum contubernio; sic cogitans apud se, si caeteri periclitabuntur fame, mihi certe prospectum est. Haec cogitatio nec erat toto pectore fidentis Christo, qui pollicitus erat nihil defuturum quaerentibus regnum Dei et iustitiam eius, nec erat habentis cor unum et animam unam cum caeteris. Quum igitur ex pretio divenditi agri partem aliquam pretii attulisset ad pedes apostolorum, Petrus afflatus spiritus divini, quo plenus erat, intelligens hominis impiam simulationem, ait: Anania, quum te semel spiritui sancto de-



dicaris, quumque huius vim tot argumentis perspexeris, cur rursus implevit animum tuum spiritus satanae, ut mendacio velut illudens spiritui sancto, qui falli non potest, furtim detraheres de pretio fundi tui, et istud omnium perniciofissimum exemplum induceres in hanc congregationem? Si nos nolentem impulissimus te ad vendendum agrum tuum, erat fortasse cur simulares, nunc quum ultiro feceris quod fecisti, quorsum attinebat benignitatis exemplum fuso simulationis vitiare? Nonne prorsus tibi manebat fundus tuus, si voluisses? Nonne etiam posteaquam vendideras, licebat totum premium servare tibi? Laudatur eorum simplicitas, qui sponte quod habent proferunt in medium. Nemo vero cogitur a nobis id facere, si nolit. Unde igitur induxisti in animum, facere fucum in hoc negotio? *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quod si Deum credis posse falli, impie de illo sentis. Sin credis illum nihil latere, aut contemnis illius iustitiam, aut putas favere fraudulentiae. Ananias autem sentiens animi sui fraudulentiam nequaquam fugere apostolos, obiurgatione tam severa perculsus, subito concidit et exspiravit. Periit unus, ut multorum saluti consulereatur. Nam huius facti rumor ubi permanavit ad caeteros, omnibus magnum terrorem iniecit, ne quid simile auderent adversus spiritum sanctum. Iuvenes autem surgentes amoverunt cadaver, et elatum sepelierunt. Non merebatur ille sepulturam, sed amovendus erat, ne funestaret puram et sanctam congregationem. Fortassis succurret hic alicui, demirari Petri austoritatem in Aniam, qui tanta lenitate dudum ad veniam invitavit eos, qui crucifixerant Iesum, tribuens ignorantiae, quod factum erat, et offerens poenitentibus salutem aeternam. Hic ob paululum pecuniae detractum a benignitate, saeva obiurgatio, nec ulla veniae spes ostenditur. Nimirum dominus Iesus, qui per baptismum universos homines invitari insisterat ad salutem, condo-



natis peccatis omnibus, paucorum exitio docere voluit, quanto gravius fit post acceptam evangelii gratiam ac lucem relabi in peccatum, non iam per incogitantiam aut inscitiam, sed per destinatam simulationem. Sciebat autem praecipuam evangelicae sinceritatis pestem ex hypocrisi et avaritia nascituram, et ob id in ipso statim ecclesiae nascentis exordio editum est exemplum insigne, per quod admonerentur omnes, neminem evitaturum ultionem divinam, quisquis Ananiam imitaretur, etiamsi hic non statim nocentem sua poena corriperet. Non enim hic agebatur de iactura pretii, sed de dissidentia erga Deum, de irrisione spiritus sancti. Petrus autem non inflixit poenam, sed obiurgationis infudit acrimoniam, ut sanaret. Ille vero nec pro rumpens in lachrymas, nec poenitentiae vocem edens, ultione divina percussus est. Ac mira Dei clementia percussus est unus, ut servarentur multi. Iustitiae exemplum est editum in eum, qui periit, misericordiae donum effusum est in plurimos, qui huius exemplo caverunt a peccando. Intercesserat trium ferme horarum intervallum, et ecce coniunx Ananiae, ne sciens quid accidisset marito, ut homines fere domestica mala sua resciscunt ultimi, ingressa est, conscientia fraudulentiae mariti, falsae laudis portionem sibi quoque vindicatura, cuius impiis cogitationibus respondens Petrus, ait: *Dic mihi, mulier, num tanti vendidisti agrum, et non pluris, quam hoc habet pretium?* Illa nimis marito similis, impudenter respondit: *Etiam, tanti vendidimus.* Tum Petrus ad illam: *Quid ita conspiratum est inter te et maritum tuum, ut mendacio tentaretis non nos, sed spiritum domini, quem videtis operantem in nobis?* Quoniam autem tibi libuit esse sociam marito in hac impia simulatione eris et supplicii consors. *Ecce pedes eorum, qui se pelierunt virum tuum, adsunt ad ostium, iidem efferent ictore.* *Ad hanc vocem illico collapsa mulier expiravit.*



Simul ingressi sunt iuvenes, ac repererunt mulierem mortuam. Extulerunt igitur eam, ac sepelierunt iuxta virum suum. Severum exemplum, sed salutiferum, nec saepius quam semel ab apostolis proditum. Quamquam Petrus, quo nihil erat mitius, non hic inflixit supplicium, sed afflatus spiritu denuntiavit. Petrus tum intuitu divini spiritus sciebat, quid esset actum et quid esset futurum. Deus autem, quem nihil fugit, poemam sumturus est de his, qui fuso illudunt viris apostoliis, etiam si tales sint, ut falli possint. Nec enim hoc donum spiritus, quod tum aderat Petro, perpetuum est omnibus. Nunc vide mala ex re bonum fructum. Ex 11 duorum iusto interitu, ingens timor obortus est per universam ecclesiam credentium, quin et alios, qui nondum crediderant, huius exempli terror invaserat. Caeterum per apostolos multa et magna miracula pro- 12 debantur apud populum, quo perspicuum esset omnibus, rem non esse virium humanarum, sed virtutis divinae. Quotquot autem adhaeserant evangelio, versabantur unanimiter in porticu, quae dicitur Solomoni. Non enim iam latere cupiunt, sed tempus erat, ut candela imposita candelabro luceret omnibus ingredientibus domum. Caeterorum autem, qui nondum 13 dederant nomen in baptismo, nullus audebat se illis coniungere. Videbant enim populum Deo sacrum, ac religione quadam abstinebant ab illorum congressu, quemadmodum solent profani ab his, quae templo dictata sunt, temperare. Nec enim oderat eos populus, sed ob insignem Dei virtutem in illis resurgentem suspiciebat ac reverebatur. Quamquam et Ananiae Sapphiraeque exemplum multis incusserat terrorem, ne quis ficte semet adiungeret. Porro magis ac magis in dies 14 accrescebat multitudo credentium domino, virorum simul ac mulierum, in tantum ut vulgo in plateas exponerent aegrotos, qui pedibus suis ingredi non 15 poterant ob morbi magnitudinem, eos in lectulis ac

E 3



grabbatis proponebant in publicum, ut adveniente Pe-
tro, vel umbra praetereuntis obumbraret aliquem illo-
rum. Nimirum his exhibita est promissio domini Iesu,
qui de discipulis dixerat: *Et his maiora facient.* Con-
tactu fimbriae Iesus sanavit aliquot, umbrae contactu
16neminem sanavit. In dies latius sese spargebat mira-
cilorum fama, adeo ut ex vicinis quoque civitatibus
magna vis hominum accurreret Hierosolymam, addu-
cens secum variis morbis obnoxios, et ab impuris spi-
ritibus vexatos, qui sanabantur omnes. In tam admirabili
rerum successu convenit observare invictam apostolorum modestiam, qui nihil hinc sibi vindica-
bant gloriae, sed laudem universam in nomen domini
17Iesu referebant. Quum igitur hunc in modum felici-
ter inclaresceret nomen Iesu Christi, seseque quotidie
latius diffunderet evangelicae doctrinae fragrantia, non
tulit verae religionis incrementum falsae religionis
antistes Annas. Huic praeter caeteros potissimum
adhaerebant, qui pertinebant ad sectam sadducae-
orum, quod praecipua testificatio apostolorum
erat de resurrectione domini nostri Iesu Christi. Quae res mitiores fecerat phariseos, qui re-
surrectionem afferunt adversus sadducaeos. Decretum
18erat, ut res orta, dissimulatione consopiretur. Sed
malitia vicit consilium, ac furor metum excussit. Nam
sacerdotum princeps commotus zelo satanae, una cum
sadducaeis manus iniecit in apostolos, ac posuerunt il-
los non iam in privato carcere, velut examinandos, sed
in publico, tanquam in manifesto scelere deprehensoris.
Delectus erat carcer insigniter munitus, ne qua possent
19elabi, neve per tumultum plebis eripi. Verum evan-
gelicus sermo, nec vinciri, nec includi potest consi-
liis humanis. Iesus enim, qui protector est suorum, mi-
sit angelum suum, qui noctu referatis carceris foribus
20eduxit illos, et ait: Ne quid vos perturbet sacerdo-
tum malitia, quin potius tanto constantius, qua coe-



pistis, pergit. Ite, et in ipso templo stantes praedicate populo, quidquid vobis mandavit praedicandum apud universas orbis nationes. Erat aliquando tempus, cum se vetaret praedicari Christum. Nunc adest illud tempus, de quo vobis dixerat: *Nihil occultum, quod non revelabitur, et quae nunc in aurem auditis, praedicate in teclis.* Hac exhortatione angeli, facti animatores apostoli, diluculo veniunt in templum, atque ex more docent frequentem multitudinem. Summus autem pontifex ignarus, quid gestum esset noctu per angelum, adiunctis fibi sadducaeis, et quos habebat certos suae sententiae suffragatores, venit in concilii locum. Eo convocatum est universum concilium sacerdotum et magistratum, una cum toto ordine seniorum gentis Israëliticae. Iam enim ob contumaciam facti irritatores, decreverant atrocius aliquid in eos statuere. Atque hic interim considera, lector, mali-
tiosam impudentiam sacerdotum, qui quum nihil haberent, quod merito criminarentur in apostolis, tam
en frequenti concilio peragunt quidquid libuit, ut
quod erat impium, hoc ipso iustum ac rectum videtur, quod totius consilii consensu decretum fuisset. Ubi magnifice suo quisque loco confedere proceres, missi sunt viatores, qui reos e carcere eductos fisterent in confessu. Ventum est ad carcerem, reperti sunt custodes ad ostium carceris excubantes. Apertum est ostium. Ingressi nullum apostolorum repererunt, nec ullum vestigium, qua fuissent elapsi. Itaque ministri reversi ad concilium, quod viderant renuntiant. Carcerem quidem, inquiunt, invenimus summa diligentia clausum, et custodes adstantes ad ostium. Caeterum ubi patefacto ostio sumus ingressi, neminem illic offendimus. Ea res vehementer perturbavit omnium animos, praesertim eorum, qui magistratus erant templi ac sacerdotum principes, iamque ancipites consilii ambigebant, quorsum haec res esset evasura. Interea dum haerent, dum

E 4



consultant, dum trepidant, intervenit quidam, qui tristi nuntio magis etiam illorum animos perturbaret; Ecce, inquiens, viri illi quos heri inclusisti carceri, nunc in templo stant, ac docent frequentem populum.

26 Tum ex sacerdotum sententia magistratus templi, quoniam ad ipsos proprie pertinebat curare, ne quid fieret in templo securus quam oporteret, abeunt in templum, adiuncto sibi satellitio ministrorum adversus vim populi. Reperiunt id quod erat nuntiatum, stantes illos in templo ac frequenti multitudini concionantes de Iesu. Non tamen injiciunt manus, quemadmodum ante fecerant. Videbant enim numerosam populi multitudinem, ac metuebant, ne si quis tumultus fuisset exortus, lapidarentur. Sed nec talis erit illa multitudo, ut vim pararet, nec tales apostoli, ut vi defendi cuperent. Aderat infracta animi constantia, sed

27 absque ferocia. Vident eos, per quos pridie fuerant ducti in carcerem. Nec sibi tamen metuunt, nec fugiunt, nec sermonem evangelicum interrumpunt, donec magistratus illis placido sermone persuaderet, ut venirent in concilium. Paruerunt apostoli, ne publicam potestatem viderentur contemnere. Dominus enim non docuerat illos, ne irent vocati, sed ut impetrante loquerentur. Ventum est in concilium. Statuntur in medio tam magnifici confessus, duo pescatores. Tum Annas sacerdotum omnium princeps magna cum auctoritate, nec minore supercilie, sic exorsus

28 est: Nonne proximo concilio ex tantorum virorum auctoritate etiam atque etiam praecipimus vobis, ne pergeretis docere populum, aut ullam nominis Iesu, quod abolitum esse volumus, mentionem faceretis apud ullum hominem, nec exterum, nec Judaeum, nec publice, nec privatim? Et ecce contemta totius auctoritate concilii, non solum non filiis, verum etiam tanto vehementius praedicastis, adeo ut impleveritis totam Hierosolymam vestra doctrina, rumore eorum,



quae facitis, ad finitimas etiam civitates pervagante. Vultis igitur malitioso studio nobis impingere invidiam mortis hominis istius. Praedicatis enim palam, illum per nos occisum, id quod negari non potest. Eudem praedicatis iustum et sanctum ac Deo probatum, et in nomine illius editis miracula, nos videlicet apud multitudinem traducentes et condemnantes impietas, qui talem ad mortem adegerimus. Haec erat oratio summi pontificis, quae nihil habet iustae defensio-²⁹nis, tantum auctoritate territat, ut quod verum erat, et ob salutem omnium omnibus praedicandum, ob impiorum gloriam sileretur. Nunc contra audiamus pi- scatorem et evangelicum pontificem fortissime quidem, sed admixta mansuetudine respondentem apostolorum omnium nomine. Magnifice pontifex, inquit, magistratus, seniores, reliquique viri praeclari, qui confidetis in hoc concilio, nos vestram auctoritatem nequaquam contemnimus, sed auctoritatem divinam humanae praeferimus, idque nos esse facturos respondimus, quum nobis interdiceretis, ne nominis Iesu mentionem faceremus. Neque puto quemquam esse in hoc concilio, qui putet aequum esse, ut ob hominem interdicta negligamus iussa Dei, et dum metuimus iram vestram, incurramus in iram Dei. Si vestra iussa consentirent cum voluntate Dei, libenter et vobis et illi satisfaceremus. Nunc quum interdicta vestra prorsus pugnant cum illius edictis, quoniam utrisque satisfacere non possumus, malumus obedire Deo, quam hominibus. Neque cuiquam invidiam per no-³⁰men Iesu conflare cupimus, sed omnibus conciliare salutem. Ac vobis etiam magis expedit, ut vestram auctoritatem submittatis voluntati divinae, quam ut nos huc adigatis nolentes, ut divinae voluntati repugnemus. Nulli non patet remissio peccatorum, si veritatem evangelicam amplectens, resipiscat. Ea sic habet, quemadmodum et antea vobis exposuimus: Deus

E 5



patrum nostrorum, quem vos nobiscum colitis, et nos
vobiscum, excitavit a mortuis Iesum filium tuum,
quem vos interfecistis, suffigentes in crucem. Sic
enam erat definitum divino consilio, sic erat praedi-
ctum a prophetis, ut unus pro salute mundi mortem
giobiret. Hunc iuxta corporis imbecillitatem ab homi-
nibus imperfectum, Deus revocatum ab inferis, sua vir-
tute subvexit in hanc gloriam, ut omnibus dux esset
et salutis auctor, sed praecipue populo Israëlitico, et
per hunc esset omnibus parata remissio peccatorum
omnium, qui malorum suorum agentes poenitentiam,
32 nomen illius profiterentur. Atque horum, quae dici-
mus, nos sumus testes, qui prius quam moreretur,
domesticam cum illo consuetudinem egimus, et a mor-
te redivivum frequenter audivimus, vidimus et contre-
ctavimus, donec omnibus nobis videntibus adscende-
ret in coelum. Quod si leve pondus apud vos habet
nostrum testimonium, testificatur idem spiritus san-
ctus, quem ut videtis effundit in omnes, qui obtem-
perant evangelio. Auditis novas linguis, videtis edi
miracula. Nihil hic nostrum est. Iesu spiritus est,
33 qui per suos ministros exserit vim suam. Haec vere
apostolica oratio, quae vel terrere debuerat illos metu
supplicii, vel allicere spe paratae salutis, magis ex-
asperavit illorum animos, adeo ut ira dirumperentur,
et inter se consultarent de occidendis illis. Iam assue-
verant homicidio sacerdotes, et laniandis pecudibus in
templo, ad nihil aliud profecerant, nisi ut facilius et
homines iugularent. Nulla hic mentio scripturae di-
vinæ, nulla doctrinae, nulla ratio. Tantum sic iu-
bemus, sic volumus, aut obtempera, aut morere.
34 Sedebat in eo concilio Gamaliel, secta pharisaeus, ad
cuius pedes Paulus apostolus legem didicit, vir ob in-
signem legis peritiam ac singularem prudentiam sum-
mo in pretio habitus apud universum populum Israëli-
ticum. Is ubi vidit illos tendere ad perdita confilia,



surrexit ac postulavit, ut iuberent apostolos paulisper
e concilio secedere. Eo facto sic verba fecit apud con-³⁵
fidentes: Viri Israëlitae, nolite praecipitare consilium,
neque temere decernatis quidquam, cuius vos post fru-
stra poeniteat, sed etiam atque etiam videte, quid sta-
tuatis de hominibus istis. Ex praeteritis sumite con-
silium, quid in futurum oporteat decernere. Non re-³⁶
petam prisca exempla. Vesta omnium memoria ge-
stum est, quod dicam. Superioribus hisce diebus ex-
stitit Theudas magus et impostor, qui se iactans apud
populum, ac prodigiosa pollicens, satis magnum ho-
minum numerum attraxit in suam factionem, fere us-
que ad quadringentos. Sed huius rei, quoniam erat
ex humana malitia, fuit infelix exitus. Siquidem et
de ipso sumtum est supplicium, et omnes quotquot
illi adhaerenter partim interfecti sunt, partim capti. Ita
dissipatis omnibus tota est secta redacta in nihilum. Post ³⁷
hunc exstitit Judas Galilaeus, patriam habens commu-
nem cum istis, de quibus nunc consultatis, eo tem-
pore, quum ex edicto Caesaris Augusti describeretur
universus orbis. Et hic, quoniam popularia docebat,
non oportere populum Deo dicatum tributa pendere
Caesaribus idololatris, bonam plebis partem attraxit
ad se. Et ipse dux huius factionis periiit, et quot-
quot illi consenserant dissipati sunt. Proinde mihi sic ³⁸
videtur. Consultius facietis, si temperetis ab ho-
minibus istis, ac finatis illos, quando neminem adhuc
laedunt. Quoniam si hoc, quod inceptant aut moli-
untur, profectum est ex humano consilio, dissipabitur
sua sponte. Sin Deus est auctor istius negotii tam ad-³⁹
mirabilis, et impium fuerit velle dissipare quod aucto-
re Deo geritur; quid enim hoc aliud esset quam repu-
gnare Deo? et imprudentiae sit velle conari, quod
non possitis efficere. Quis enim resistet voluntati Dei?
Haec sententia tantum valuit apud concilium, ut de-⁴⁰
cretum de occidendo differretur in aliud tempus. Et



haec tenus itum est pedibus in Gamalielis sententiam, non ut in totum abstinerent ab apostolis, sed ut convocatis simul omnibus duodecim, ac caesis denuntiaretur, ne post ullam mentionem facerent nominis Iesu. Et hac poena contenti dimiserunt illos, sperantes futurum, ut qui dictis ac minis non paruerant, cruciatu corporis admoniti saperent; aestimantes apostolos in speciem humiles ac plebeios ex barbarorum ingenio, qui plagiis emendantur. Verum ex huiusmodi malis robur colligere solet vigor spiritus evangelici. Apostoli si quidem agnoscentes, verum esse sermonem, quem dixerat Iesus, quod esset in ius vocandi, quod in synagogis flagellandi, non ob illum maleficium, sed ob professionem salutiferi nominis, alacres et gaudentes discedebant a conspectu concilii, virgarum ignominiam, quam alii putabant esse intolerabilem, sibi gloriae ducentes, quod Deus agnosceret suos apostolos, quos hoc honore dignatus esset, ut pro nomine filii ipsius contumelia afficerentur. Meminerant autem quod ante praedixerat illis Iesus: *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.* Tantum autem absuit, ut hac poena ac principum denuntiatione redde-rentur segniiores ad praedicandum nomen Iesu, ut alacriores etiam redditи, et publice in templo, et privati in singulis domibus incessanter docerent, quae accepterant a domino Iesu, ac laetum nuntium omnibus adferebant, hunc esse verum Messiam, per quem oportet omnes salvos fieri.

CAPUT VI.

Per id tempus quum in dies accresceret numerus discipulorum; sic enim tum vocabatur, qui post christiani dici coeperunt, obortum est murmur Graecorum, hoc est Judaeorum, qui non in Iudea, sed apud gen-



tes nati fuerant, adversus Hebraeos. **Causa** murmu-
ris ex pietate nata est. Quum enim mulieres aliquot
circumferrent apostoli, quae illis ministrabant, Grae-
ci dolebant non idem honoris haberi suis viduis, ut
quotidiano ministerio liceret apostolis ac discipulis in-
servire. Hanc enim dignitatem interpretabantur. Et
haec erat prima in ecclesia ambitio. Et tamen, ut in-
telligas quantopere displiceat bono pastori quamlibet
leve dissidium, statim duodecim apostoli convocata di-
scipulorum multitudine, quo plus haberet auctoritatis,
quod omnium consensu decretum fuisset, hunc in mo-
dum verba fecerunt: Videmus nescio quid murmuris or-
tum inter nos de ministerio mulierum. Providendum
igitur est, ne nos huiusmodi curis levioribus idemtide
interpellemur, nimirum altiori functioni destinati.
Nobis iniunxit dominus, ut doceremus evangelium.
Non est igitur probandum, ut nos omisso delegato mu-
vere praedicandi evangelii, ministremus mensis.
Quemadmodum enim in corpore varia sunt membra,
ac suo quodque membrum officio fungitur, ita tumultu-
sus et confusio vitari non potest in tanta multitudine,
nisi diversae functiones in varias personas distribuantur,
sic tamen ut omnia referantur ad utilitatem universi
corporis. Nec enim oculus sibi uni prospicit, sed
omnibus membris. Nec manus sibi tantum laborant,
sed toti corpori. Proinde fratres circumspicite ex ve-
stro numero septem spectatae probitatis viros plenos
spiritu sancto, ac singulari praeditos sapientia, quibus
ex vestra voluntate delegemus hoc negotii, quo nos ha-
ctenus occupamur, non sine dispendio functionis evan-
gelicae. Nos vero per illos quietiores facti, his quae
proprie nostrarum sunt partium incumbemus, preca-
tioni et administrando sermoni doctrinae evangelicae.
Illi curam gerent pascendorum corporum, nos animis
vestris pascendis vacabimus. Haec oratio placuit uni-
versae multitudini. Itaque consensu congregationis

delecti sunt septem. Stephanus spectatae fidei ac plenus spiritu sancto, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas et Nicolaus religione proselytus,
6 patria Antiochenus. Hos electos statuerunt in conspectu apostolorum, ut illorum auctoritate quod factum erat comprobaretur. Apostoli vero fusis ad Deum ex more precibus, imposuerunt illis manus. Nam hoc ritu primum delegabantur sacra ministeria, exemplo sumto a domino Iesu, qui quibus benedicebat, solitus est manum imponere. Quod si quis roget, quid opus fuerit his ritibus ad designandos ministros, qui mensae curam agerent, sciat profanam quidem esse functionem tractare pecuniam, maxime communem, sed quae requirat fidem non vulgarem, et animum incorruptum. Testis est Judas, quem avaritia corruptus animus ad domini sui proditionem adegit. Tum autem quoniam praescribebant et aliis, quid in huiusmodi negotiis oporteret fieri, addenda erat et auctoritas, quo magis omnes illis tamquam apostolorum sociis et adiutoribus parerent. Praeterea discipulorum convivia non erant, qualia sunt vulgi, sed magna cum religione capiebatur cibus, quoties capiebatur. Omnis panis fractus illis repreäsentabat corpus domini, omne vinum admonebat sanguinis dominici. Denique et corpus ipsum dominicum, et sanguis domini per diaconos administrabatur multitudini. Et si quando vacabat per ministerium, praedicabant et ipsi sermonem **7** evangelicum, velut apostolis proximi. His rebus factum est, ut evangelica doctrina in dies latius ac latius spargeretur, magnoque successu multiplicaretur numerus discipulorum Hierosolymis. Nec enim solum plebeii plurimi accedebant evangelio, verum etiam complures ex ordine sacerdotum, qui prius conspiraverant adversus Christum et apostolos, tacti poenitentia, ac posito fastu submiserunt sese iugo evangelico.
8 Inter diaconos autem peculiarius emicuit Stephani pie-



tas. Sic enim se gessit in delegato munere, ut ob insignem morum mansuetudinem, gratiofissimus esset apud universam multitudinem credentium, et erga rebellantes evangelio, fortem et invictum animum praestabat, adeo ut apostolicarum etiam virtutum aemulus, in nomine Iesu multa magnaque miracula ederet apud populum. Quoniam autem eximia virtus semper ad sese trahit invidiam, quemadmodum Caecias nubes, exorti sunt adversus Stephanum quidam e diversis sodalitatibus, quarum una vocatur Libertinorum, alia Cyrenensium, alia Alexandrinorum, alia eorum, qui venerant a Cilicia, et Afia. Nam in haec loca Syriae vicina potissimum erant dispersi Judaei. Hi omnes velut coniurati coorti sunt adversus Stephanum, disputantes adversus illum. Nec poterant, quamvis multi, 10 resistere unius iuvenis sapientiae ac vigori pectoris, propterea quod spiritus sanctus, quo plenus erat, per illum loqueretur. Hic agnosce morem improborum, 11 Ubi veritate discedunt impares, ad mendacia confundunt, et victi sapientia spiritus, ad diabolicas fraudes sese convertunt. Subornarunt enim viros quosdam, qui dicerent Iesu audisse Stephanum proloquenter verba blasphema in Mosen ac Deum. Nullum autem crimen apud Judaeos capitalius, quam blasphemiae, nec apud populum atrocior. Hic agnosce, lector, machinas similes adversus famulum, quales fuerant adversus dominum. Subornantur sycophantae, ne videantur ipsi velle dolorem ulcisci suum, quod a disputatione discessissent impares. Quaeritur crimen atrox, et malitiae praetexitur religionis studium. Ab his igitur 12 submissitiis sycophantis, concitatus est populus, una cum senioribus ac scribis adversus Stephanum, adeo ut concursu facto rapuerint illum, et pertraxerint in concilium. Hic prodeunt conducti testes, qui suam 13 peragerent fabulam, ac dicerent: *Hic homo nullum facit finem evomendi blasphemias adversus locum,*



nobis omnibus sanctum ac venerabilem, contraque
14 Moysi legem nobis a Deo traditam. Audivimus enim
 illum dicentem, quod iste Iesus Nazarenus demolitu-
 rus sit locum hunc, ac mutatus instituta, quae tra-
 didit nobis Moses. Stephanus ex relatione apostolo-
 rum dixerat, a Iesu praedictum esse, futurum ut tem-
 plum hoc et urbs funditus ab hostibus dirueretur, ob-
 gentis incredulitatem. Hoc dictum depravant ad ca-
 luinniam. Dicas hos eosdem esse, qui Iesum accusan-
 tes dicebant: *Audivimus eum dicentem: Destruam*
15 *templum hoc, aliud in triduo excitaturus.* Ad hanc
 tam atrocem criminationem nihil commotus est Ste-
 phanus, sibi bene conscientius, ut in ipso etiam vultu relu-
 ceret mentis innocentia. Res enim est pavida sibi ma-
 le conscientius animus. Haec constantia frontis statim
 coarguit calumniatorum impudentiam. Etenim hi,
 qui considebant in eo concilio, intuentes eum et ob-
 servantes, qua fronte crimen obiectum exciperet, vi-
 debant illum adeo non deiici aut exanimari, ut facies
 illius quiddam homine maius, et angelicam quamdam
 alacritatem simul ac maiestatem prae se ferre videre-
 tur. Tum princeps sacerdotum, ut hic quoque spe-
 ciem legitimi iudicii exhiberet, quemadmodum fece-
 rat in condemnando Iesu, percunctatus est reum,
 numquid haberet, quod ad haec responderet, et an
 crimen obiectum agnosceret. Tum Stephanus afflatus
 divino spiritu sic causam dicere exorsus est, altius re-
 petito principio.

CAPUT VII.

Viri, quotquot adestis, vel genere fratres, vel ae-
 tate atque auctoritate patres, qui patienter audistis ca-
2 lumniantes, audite et veritati patrocinantem. Nos
 nec in Deum, nec in Mosen, nec in templum hoc
 con-



contumeliosi sumus, sed cum Mose consentientes, Dei gloriam provehimus, ac templum spirituale, quo Deus, qui spiritus est, potissimum delectatur, quemadmodum divinitus iussi sumus, exstruimus. Non est blasphemia hoc pro viribus agere, quod figuris adumbravit Moses, quod prophetae Dei spiritu afflati praedixerunt, quod Dei filius ob id in terras missus et orsus est, et suis perficiendum mandavit, quod spiritus sanctus ad salutem omnium gentium nunc per eos, qui credunt evangelio, peragit. Sed impietas est, blasphemia est, tam manifestae, tamque benignae Dei voluntati tam pertinaciter obluctari. Quod quidem haec natio non nuper facere coepit, sed quod iam olim facere instituit, nunquam facere definit, ut nec mirum nec iniquum videri debeat, si eveniat, quod Iesus Nazarenus futurum praedixit, videlicet ut hoc templum, quo gloriamini, utque haec civitas, in qua regnatis, ut sacerdotium, ut lex, quibus abutimini ad quaestum et gloriam vestram, a vobis auferatur, atque haec gloria transferatur ad eos, qui per fidem evangelicam pure Deum colunt, ac legem spiritualiter observant, sequi ipsis praebent templum vivum ac sanctum spiritui sancto. Huc quum tot modis Deus maiores nostros provocaverit, tamen semper spretus est ab hoc rebelli et pertinaci populo. Ut enim a primo gentis huius patriarcha repetam, cuius obedientiam utinam imitantur hi, qui se iactant filios eius, Deus, cui debetur omnis gloria, quemque nos vobiscum pie colimus, olim apparuit patriarchae nostro Abrahae, quum esset in Mesopotamia, prius quam commoraretur in Charran, et dixit ad illum: *Exi de terra tua et cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi.* Ille obtemperans iussis Dei, egressus est e terra Chaldaeorum, et habitare coepit in Charran, velut per occasionem longius emigraturus. Rursum hinc transtulit illum Deus in hanc terram, quam vos nunc incolitis,

Tom. III.

F

3

4



idque mortuo patre illius Thare, ob cuius senectutem
5 distulerat emigrationem. Transtulit autem, ut hospitem ac peregrinum, nullam illi tribuens hic haereditatem, adeo ut ne pedis quidem vestigium in ea possideret, nisi pretio redemptum, sed pollicitus est Deus, se daturum huius terrae possessionem posteris illius post eius obitum, quem id temporis Abraham non haberet
6 filium. Id quum videretur incredibile, tamen et Abraham credidit et Deus praestitit. Quemadmodum et in caeteris quae praedixit Deus repertus est verax. Sic enim tum illi loquutus est: *Erit semen tuum peregrinum in terra aliena, et gentes apud quas peregrinabuntur posteri tui, subiicient illos in servitutem, et inclem-7 ter tradicabunt illos annis quadringentis triginta.* Tan-
dem eripiam illos a servitute, ac gentem cuicunque servierint, ego iudicabo et ulciscar, dicit dominus.
Deinde liberi a servitute hominum, servient mihi in loco hoc. Quoque sibi magis affereret populum suum,
8 dedit Abrahae velut signaculum foederis circumcisio-
nem. Atque ita fisis Dei promissis, genuit Isaac, ac memor pauci sui, circumcidit puerum die a nativitate octavo. Isaac rursum circumcidit Iacob; Iacob duodecim filios suos nostri generis patriarchas. Inter hos
9 erant, qui parum memores divini foederis, invidia moti, hoc moliti sunt adversus fratrem suum Ioseph, quod illorum posteri moliti sunt adversus Iesum Nazarenum. Abiecerant eum in cisternam, mox vendide-
runt illum negotiatoribus, a quibus perductus est in
10 Aegyptum. Sed quemadmodum Deus suscitavit occi-
sum, et evexit deiectum Iesum, ita tum eripuit Joseph ex omnibus afflictionibus suis, effecitque ut moribus et sapientia divinandi gratiosus esset apud Pharaonem regem Aegypti, adeo ut praefecerit eum toti Aegypto,
11 domuique suae. *Caeterum oborta est fames per uni- versam Aegyptum et Canaan, et grayis afflictio,* adeo
12 ut patres nostri non invenirent quod ederent, Iacob



autem ubi cognovisset, in Aegypto copiam esse frumenti, misit eo patres nostros, ut inde adferrent frumentum. Ubi vero illos iterum eadem de causa misisset **I 3** illuc, Ioseph agnitus est a fratribus suis. Ea res innuit et Pharaoni, quod Hebraeus esset, et patrem ac fratres undecim haberet vivos. **I 4** Ioseph itaque accersi vit Jacob patrem suum, totamque cognitionem suam in Aegyptum, ne quid illis deesset. Erant autem numero septuaginta quinque. **I 5** Jacob itaque commigravit in Aegyptum, ac defunctus est ipse cum duodecim filiis suis patribus nostris, conditique sunt in se- **I 6** pulchro, quod emercatus fuerat Abraham centum filii argenti a filiis Emor, qui fuit filius Sichem. Nullus horum adhuc quidquam possedit de terra promissa posteris Abrahae. **I 7** Quum autem iam instaret tempus, quo Deus praestaturus erat, quod promiserat Abrahae, crevit populus Hebraeorum, et multiplicatus est in Aegypto, donec mortuo Pharaone succederet aliis rex, apud quem non esset perinde gratiosus Ioseph. Hic metuens ne plus satis increaseret Hebraeorum populus, arte opprimens genus nostrum, affixit **I 9** patres nostros, edicto submonitis obstetricibus, ut masculos infantes exponerent, ne possent vivere. **I 10** Hoc tempore natus est Moses, adversus quem isti falso me praedicant protulisse blasphemiam. Is fuit gratus Deo, qui non passus est illum perire, sed furtim enutritus est tribus mensibus in domo patris sui. Caeterum ob me- **I 11** tum edicti regii expositus est in Nilum, in fiscella lita bitumine. Forte sustulit illum filia Pharaonis, capta infantis elegantia, ac filii loco nutritivit eum domi suae. Moses igitur habitus pro Aegyptio a primis annis, **I 12** institutus est in omni sapientia Aegyptiorum, eratque potens tum factis, tum dictis. Porro quum **I 13** iam peregisset annum quadragesimum, venit illi in mentem, ut inviseret fratres suos Israël. Spirabat enim caritatem erga genus suum. Inter hos versans, quum **I 14**



vidisset Israëlitam quemdam affici iniuria ab Aegyptio,
iam tum boni ducis indolem exferens, ultus est He-
braei causam, imperfecto Aegyptio. Existimabat au-
tem hoc Hebreis iam innotuisse, quod Deus per istum
statuisset servare populum suum, exemptum a servitu-
te Pharaonis. Atque hic Moses Iesu Nazareni figuram
gerebat, quem Deus vere de legit redimendis omnibus
a servitute peccatorum. Caeterum quemadmodum
hoc Israëlite non intellexerunt in Iesu, ita nec tum in
Mose intellexerunt. Postero die rursus invisens suos,
offendit duos Israëlitas inter se litigantes, ac directa
pugna redigere conatus est eos in concordiam, dicens:
Quid facitis, o viri? Quum fratres fitis et eiusdem gen-
tis, cur alter laedit alterum? *Is autem, qui faciebat*
iniuriam proximo, repulit pacificatorem, dicens:
Quid tu te inseris causae nostrae? Quis te constituit
principem ac iudicem super nos? Num me quoque vis
interficere, quemadmodum heri interfecisti Aegy-
ptium? Hic statim inventus est inter Israëlitas, qui
rebellaret Mosi, quum is haec afflatus spiritus ficeret,
Hoc auditio Moses, sentiens rem non esse clam, sibi
metuens ab Aegyptiis fugit in terram Madian, ubi ge-
nuit filios duos. Rursus post annos quadraginta ap-
paruit Mosi angelus domini, in deserto montis Sina,
e rubo qui videbatur conflagrare. Hoc spectaculo stu-
pefactus Moses, tentavit accedere proprius, ut videret
quid hoc esset rei. Sed vetuit illum vox domini so-
nans e rubo; Ego, inquit, sum Deus patrum vestro-
rum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob.
Hoc auditio nomine tremefactus est Moses, nec aude-
bat proprius inspicere. Tum dominus: Solve calcea-
menta pedum tuorum. Siquidem locus in quo stas,
terra sancta est. Paruit Moses domino. Tum ille
pergit loqui: Etiam atque etiam vidi afflictionem po-
puli, qui est in Aegypto, ac gemitum meorum audi-
vi. Eoque misertus descendit, ut liberem eos. Nunc



igitur ades, et hac gratia mittam te in Aegyptum. Animadvertisse, quam non obscure in Mose designatus sit Iesus Nazarenus. Mosen adhuc ignotum negarat³⁵ populus Israëliticus, dicens; *Quis te constituit principem et iudicem super nos?* Itidem audivit Iesus a nostris: *In qua potestate haec facis, et quis tibi dedit hanc potestatem?* Nondum enim noverant, quod hunc Deus misertus gentis nostrae, misit ducem ac principem libertatis, et auctorem vitae aeternae. Ac Mosen quidem a suis contemptum Deus exiit, et constituit ducem, principem et liberatorem populi sui. Et adfuit illi virtus angeli, qui apparuerat ei de rubro flagrante. Huius ope populum suum eduxit ex Aegypto,³⁶ editis multis prodigiis ac miraculis in terra Aegypti, mox in mari rubro, deinde et in deserto per annos quadraginta. Quod fuit Moses uni populo, hoc vere est Iesus Nazarenus, omnibus ipsius ductum sequi volentibus. Iam ne quis existimet eos, qui praedican³⁷ Iesum Nazarenum adversari Mosi, hic ipse Moses vobis Iesum Nazarenum commendavit, tot retro seculis venturum promittens, quem nunc videtis advenisse. Ait autem: *Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris, similem mei, ipsum audietis.* Hic est³⁸ inquam ille Moses, qui quemadmodum prius solus fuerat colloquutus cum angelo iuxta rubrum, quod ita postiam teste multitudine colloquutus est cum eodem in deserto, in monte Sina, ac vicissim colloquutus est cum maioribus nostris, ad quos deferebat quod audierat a domino. Acceperat enim ab eo legem, quae vitam conferret observantibus, ut eam nobis traderet. Tan³⁹ta quum esset auctoritas Mosi, tamen patres nostri noluerunt obedire illi, sed repulerunt eum, et oblii⁴⁰ quam misera servitute fuissent liberati, conceperunt animo desiderium Aegypti, ut relicto duce salutifero et redemptore, spreta lege vivifica, redirent ad mores idololatrarum. Itaque colloquente Mose cum angelo,

*dicunt Aaron: Fac nobis Deos, qui praecedant nos.
Nam Moſi iſti, qui nos eduxit e terra Aegypti, nesci-
mus quid acciderit.* Moxque ad exemplum Aegy-
ptiorum, qui bovem Apin adorant, fecerunt sibi vitu-
lum ex auro conflatilem, atque huic exanimi Deo im-
molarunt hostias, spreto Deo vivente, cuius miseri-
cordia servitutem effugerant, et in tam impio facinore,
quasi re bene gesta, saltabant et epulabantur, aversan-
tes Deum verum, qui condidit universa, et exsultan-
tes in diis mutis, quos ipſi ſibi suis manibus fecerant.
42 His rebus offensus Deus, avertit ſe vicifim ab illis,
et paſſus est illos obsequi animo ſuo, ut tandem exem-
plio gentium, colerent iam non unum Deum, ſed totam
coeli militiam, ſolem, lunam, ſtellas, Martem,
Mercurium, Venerem, Saturnum, quibus impiae fa-
bulae divinitatem tribuunt, quum ſint corpora a Deo
condita, ut ſerviant uſibus hominum. Non potest ne-
gari quod loquor. Nimirum hoc eſt, quod ſtomachatur
Deus per Amos prophetam, dicens: *Numquid vi-
timas et hostias obtulistiſ mihi annis quadraginta in
deserto domus Iſraēl?* At pro templo Dei veri, am-
plexi eſtiſ tabernaculum Moloch, iſ eſt, idolum Am-
monitarum, ac ſidus Dei veftri Rempham, id eſt,
Lucifer, ſive Venus, quam colunt Saraceni. Haec
muta simulachra vobis finxitis, ut adoraretis, contem-
to vivo veroque Deo, qui ſolus condidit universa.
Quoniam autem in hiſ eſt animus vester, *transfe-
ram vos in Babylonem*, ut denuo ſerviatis idololatris.
Arbitror ſatis eſſe demonstratum, nos nec blaſphemos
eſſe in Deum, quem pure colimus, nec in Moſen,
cuius prophetiam amplectimur, ſed illos potius, qui
veſtigia maiorum imitantes, et Deum contemſerunt
olim in Moſe, et utrumque hodie contemnunt in Iefu
Nazareno. Adversus legem autem nos nequaquam
blaſphemii ſumus, qui, quem lex deſignavit, quem pro-
phetae omnes promiſerunt, amplectimur, ſed illi po-



tius, qui patrum impiorum ingressi vestigiis, a quibus contemta est lex per Mosen lata, nunc adsperrantur legem evangelicam, quam omnibus tulit Iesus Nazarenus, quae Mosi legem non abrogat, sed perficit. Nunc de templo, in quod dico fuisse blasphemus,⁴⁴ paucis accipite: Scio et templum hoc ius tu Dei aedificatum, ut esset figura templi sanctioris, ac cederet meliori, quemadmodum templo cessit tabernaculum testimonii, in quo erat arca foederis, quam circumferabant patres nostri in deserto. Praescriperat enim Deus loquens per Mosen huius tabernaculi formam, ad quam esset aedicandum. Id amplexi sunt patres nostri⁴⁵ duce Iesu, et invexerunt in possessionem gentium, quas expulit Deus a facie patrum nostrorum, usque ad tempora regis David. Qui quum esset vir pius, et ob id Deo gratus, petiit ab eo, ut pararet tabernaculum dignum Deo Iacob. Solomon autem, quoniam pacifcus erat, primum aedicavit illi templum hoc magnificum, de quo vos gloriabimini, dicentes: *Templum domini, templum domini, templum domini.* Verum hoc templum nihil aliud est, quam figura veri templi spiritualis, quod est ecclesia, quae nunc aedificatur per Iesum Nazarenum regem vestrum, cuius typum gerebat Solomon. Deus enim quum sit spiritus, non habitat in aedificiis manu factis, nec circumscribitur parietibus, qui immensus est et implet omnia. Nimirum hoc est, quod ipse testificatur per prophetam Esaiam loquens: *Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum aedificabis mihi, dicit dominus, aut quis locus requietionis meae? Nonne manus mea fecit haec omnia?*⁴⁹ Deus igitur, qui condidit universa, prius in seipso quietem habuit, antequam conderet omnia. Et si requiescit, non requiescit in aedificiis hominum manu factis, quum alioqui coelum illi sedes sit, et terra scabellum, sed gaudet requiescere in animis quietis et obtemperantibus spiritui sancto. Itaque qui pectus ha-

bet sceleribus inquinatum¹, is violat templum Dei, qui negotium facessit his, qui spiritui sancto obtemperant,
5 Ille violat templum domini. Quemadmodum autem non laedit Mosen, qui Iesum illi praefert, nec violat legem ab eo latam, qui illi praefert evangelium, ita nec templum hoc violat, qui praefert illi templum spirituale, quo magis delectatur Deus. Aequum est enim, ut umbrae cedant veritati, quae nunc sese profert in lucem. Par est, ut quod carnale est, cedat spiritualibus. Nimirum haec est immutabilis Dei voluntas, et huius rei gratia misit unicum filium suum in terras, misit spiritum sanctum, ut ad omnes gentes permanaret lux veritatis evangelicae. Vos autem mordicus tuentes quod carnale est, rebelles estis spiritui Dei, qui vos iam olim dixit durae cervicis populum. Et vobis videmini Israëlitae ac filii Abrahæ, quod praeputii pelliculam habetis circumcisam, quum et cor habeatis incircumcisum et aures. Posthac veri sunt filii Abrahæ, qui cor habent repurgatum ab impiis cupiditatibus, qui aures habent obedientes praeceptis Dei, ac repurgatas a crassitudine sensus carnalis, ut sensum spiritualem legis non queant percipere. Quemadmodum autem patres vestri ob crassitudinem mentis, et aurium hebetudinem semper restiterunt spiritui sancto, ita et vos non degenerantes ab ingenio maiorum nunc spiritum sanctum oppugnare non desistitis, priusdem in Iesu Nazareno, quem suffixistis in crucem, nunc in apostolis illius. Mosi quoties rebellarunt patres vestri? Vestros enim cur non dicam, quos imitamini?

52 *Quem prophetarum non sunt persequuti patres vestri?* Nec afflixerunt solum, verum etiam occiderunt eos, qui praedixerunt vobis venturum iustum illum, per quem unum iustificarentur omnes. Odistis illos, qui venturum nuntiabant, et venientem et omnia præstantem, quae illi praedixerant, non solum amplexi non fuistis, sed prodidistis illum in manus Pilati, et per-

hunc occidistis sceleratus, quam si facinus manibus
vestris peregissetis. Atque haec omnia facitis praetex- 53
tu defendenda legi, quum nec maiores vestri legem
per angelos traditam servaverint, nec vos, qui quem
lex promisit ac designavit, pridem occideritis, nunc
etiam occisum persequamini, vobis ipsis invidentes fa-
lutis aeternae donum, quod offertur, et accersentes
exitium, quod sine causa imputatis nobis et Iesu Na-
zaren. Haec oratio tam vera, tamque libera, vehe- 54
menter concitavit animos omnium, qui erant in con-
cilio, adeo ut rumperentur illorum corda, ac denti-
bus striderent in illum. Stephanus autem nihil istis 55
commovebatur, nimirum plenus sancto spiritu, sed ad
extrema perferenda paratus, iuxta Iesu Christi exem-
plum intendit oculos in coelum, unde praefidium
omne petendum est christianis. Mox adversus futu-
rum certamen corroboratur egregius athleta. Didu-
cit se coelum, videt maiestatem Dei, et Iesum quem
profitebatur, stantem a dextris Dei. Nec hoc tacuit
apud impiam multitudinem. Non enim oportet ob
hominum malitiam supprimere Dei gloriam. Ecce,
inquit, video coelos apertos, et filium hominis stan-
tem a dextris maiestatis divinae. Hic operaे pretium 56
est considerare formam huius iudicii. Erant proposi-
ta crimina. Responsum est ad omnia. A iuvene pro-
ducta sunt testimonia legis et prophetarum. Solidis
rationibus evicta res est. Nihil dictum est de Deo,
nisi pie, nihil de Mose, nisi honorifice, nihil de lege,
nisi iuxta legis sententiam, nihil de templo contume-
liose. Et tamen illi disruptur ira, et furentium
more frendent dentibus. Adeo non ferunt imminui
gloriam suam, et praedicari gloriam eius, cuius unius
gloriam vult Deus apud omnes praedicari. Si Mosen
aut Abraham extulisset, tulissent. Iesum vivere, Ie-
sum stare a dextris Dei, iuxta vaticinium David, non
ferunt, sed prorsus iam in rabiem versi, adversus fer-

monem tam salutiferum obturant aures suas, et insani vociferationibus magno consensu omnes impetum
57 fecerunt in Stephanum. Iamque veluti convictum
damnatumque blasphemiae, eiiciunt extra civitatem;
hac tantum in parte memores legis mosaicae, atque illic eum lapidabant. Testes vero ceu victores, quorum
partes erant iuxta Mosi praescriptum, auspicari lapida-
tionem, quo essent ad carnificinam expeditiores, de-
posuerunt vestes suas apud adolescentem, cui nomen
erat Saulus, qui tum adhuc per ignorantiam, ac pa-
triae legis studio favebat impiae cause. Mox lapida-
re coeperunt Stephanum, non reluctantem, non con-
vitantem, sed eum quem viderat invocantem ac dicen-
tem: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* Agno-
scis Iesu discipulum. Sic enim ille in cruce: *Pater, in*
58 *manus tuas commendabo spiritum meum.* Deinde vo-
lantibus undique saxis, flexis humi genibus, magna vo-
ce, magnoque affectu clamavit, dicens: *Domine, ne*
imputes hoc illis in peccatum, nesciunt enim quid fa-
ciunt. Quam bene dominum suum expressit famulus.
Haec erat extrema vox morientis, post quam obdormiit
in domino, in quo quisquis moritur, non mori-
tur, sed obdormiscit, post placidam quietem ad im-
mortalitatem revicturus. Hoc affectu decet mori, quot-
quot vere christiani sunt. Itaque Stephanus suo respon-
dens nomini, primus omnium martyrii coronam me-
ruit, et evangelici sacrificii primitias obtulit domino.

CAPUT VIII.

ERANT in ea multitudine, quibus nondum erat per-
suasum, Iesum esse filium Dei, atque hic error aliqua
ex parte criminis atrocitatem elevabat, licet eos non
excusaret ab homicidio, quod excaecati suis cupidita-
tibus, ulcisci maluerunt, quam discere veritatem.



Nulli tamen minus excusabiles quam pontifices, scribae et pharisei. Erant rursus qui simpliciter errabant, credentes se sacrificium gratum offerre Deo, quod eos, qui legem a Deo traditam conarentur subvertere, tollerent e medio. Caeterum evangelica caritas excusat ea quoque, quae non possunt excusari. Inter eos autem, qui citra malitiam errabant, erat Saulus Tarsensis adolescens, mosaicae legis studiosus, qui post ex lupo factus est ovis, ex persequutore saevissimo factus est acerrimus assertor evangelicae libertatis. Atque ipse quidem tum nullos lapides coniecit in Stephanum, verum assensus est his, qui Stephanum damnarant ac lapidarant, atque hoc animo servavit illorum vestimenta, ut in multorum lapidantium manibus esset unus. Nec unius morte contenta fuit Iudeorum malitia, sed mox ingens persequutio oborta est adversus ecclesiam, quae erat Hierosolymis, sic ut omnes per varias Iudeaeae et Samariae regiones, alias alio dispergerentur, praeter duodecim apostolos, qui caeteris animi robore praestabant. Nec in hos quidquam licebat Iudeorum malitiae, quemadmodum nec in alios, nisi permisso domini Iesu. Permiserat hoc dominus Iesus, ut urgente persequutore fugerent de civitate in civitatem. Nec erat istud tam formidinis discipulorum, quam divinae dispensationis, ut veluti late sparvis seminibus cito proveniret copiosa messis evangelicae professionis. Soli duodecim apostoli veluti pastores non cesserunt huic tempestate, sed constantibus animis perseverarunt Hierosolymae. Porro Stephanum extinctum curarunt humandum viri quidam pietatis cultores, quod intelligerent illum praeter meritum per subornatos testes oppressum. Hoc studio Joseph et Nicodemus curarunt funus domini Iesu. Stephani vero mors iuxta Iudeorum morem ingenti bonorum luctu planctuque celebrata est. Nam apud christianos mors pro Christi gloria oppetentium plausibi-

lis est ac triumphalis, et si quid est ibi lachrymarum, non impeditur ei, qui mortuus est, sed vel occisoribus sibi gehennam accersentibus, vel gregi necessario
3 pastore destituto. In hac tempestate Saulus, qui in lapidatione Stephani zeli sui specimen aliquod dederat, magno odio concepto in christianos, non aliter quam lupus famelicus laniat ac dissipat gregem ovium, ita coepit devaltare ecclesiam Dei, persequens fugitantes, inquirens latitantes, obambulans per singulas domos, et ubicumque sensisset esse, qui Iesum Christum profiteretur, irruerat, viros pariter ac mulieres pertrahens in carcerem, videlicet saevior ipsis sacerdotibus ac scribis, quorum nullus adhuc negotium exhibuerat sexui muliebri. Id agebat iuvenis, pio quidem affectu, sed perverso iudicio. Et ideo saevitiam illius dominus
4 temperabat, ne cuius sanguine contaminaretur. Dum haec aguntur Hierosolymis, hi qui dispersi fuerant, quamquam metus aliunde alio propellebat, tamen non tacebant Iesum Nazarenum, sed peragabant Judaeam, passim semina quaedam iacentes sermonis evangelici,
5 qua de causa dominus eos dissipari passus fuerat. Inter quos erat Philippus e septem diaconis unus, ordine proximus Stephano. Is profugus Hierosolyma, descendit in civitatem Samariae, quae eadem Sebaste dicta est. Pervenerat eodem et ante rumor quidam de Iesu Nazareno, de quo Philippus caetera praedicabat, quomodo crucifixus esset, ac tertio die revixisset, deinde per dies quadraginta versatus cum discipulis adscendisset in coelum, atque inde misisset suis discipulis spiritum sanctum, posthac omnibus paratam esse salutem, qui crederent in nomine illius. Populus autem
6 Samaritanorum; nam a populo semper est primus evangelii proventus, magno animorum consensu intendebat iis, quae narrabantur a Philippo. Erat enim oratio favorabilis, quae pollicebatur omnibus salutem, tum autem dictis fidem adstruebant miracula, quae



multa per Philippum edebantur. E multis enim, qui possidebantur ab impuris spiritibus, ad invocationem nominis Iesu, daemones exibant, magna cum vociferatione declarantes, sese non exire sponte, sed compulso virtute salutiferi nominis. Quin et paralytici complures et claudi sanitatem sunt assuecuti. Has ob res ingens gaudium ortum est publicitus in ea civitate. Quo longius receditur ab Hierosolyma, quoque proprius acceditur ad gentes, hoc uberior est evangelici seminis proventus. Vide quantum profecerit Judaeorum saevitia. Philippus ex diacono factus est apostolus, et pro paucis Hierosolymitis, totae civitates amplectuntur doctrinam evangelicam. Gravior autem est ecclesiae pernicies ab his, qui se iungunt ecclesiae non sincero animo, quam ab his, qui palam ecclesiam persequuntur. Et huius rei nobis editum est exemplum, quo magis caveamus lupos ovilla pelle teatos. Erat apud Samaritas vir quidam nomine Simon, impostor et praestigiarum artifex, qui prius quam eo veniret Philippus, magicam artem exercuerat in ea civitate, ac simulatis miraculis prodigiisque dementarat Samariae populum, alioqui superstitionis, et ad daemonum praestigia propensum. His fucis se venditabat apud simplicem ac superstitione credulum populum, iactans sese magnum quempiam esse prophetam, cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum. Nil autem fecerat in nomine Iesu, et ideo stupefacti prodigiis, quae ille vel praestigiis simulabat, vel daemonum auxilio patrabat, dicebant: *Iste est virtus Dei, quae vocatur magna.* Fuerat apud illos multo tempore versatus, diuque dementaverat illos suis magicis artibus, et ideo parata iam apud omnes auctoritate, plerique credebant his quae docebat. Is ubi vidit in Philippo praesentiorem virtutem edendi vera miracula per invocationem hominis Iesu, ac Samaritarum populum ab ipso alienatum credidisse Philippo, qui laetum



nuntium omnibus adferebat de regno Dei, deque nomine Iesu Christi, nihil magnifice de se praedicans, quemadmodum fecerat Simon, sed Iesu gloriam miraculis illustrans, sed omnibus salutem promittens, qui accepto baptismo nomen illud profiterentur, videretque plurimos, tum viros, tum mulieres, baptismum acci-

13pere, tandem fidem evangelicam amplexus est (*) et ipse Simon, et accepto baptismo, coepit adhaerere Philippo, non tam amore Iesu, quam aviditate laudis et gloriae. Magicarum enim artium peritissimus perspiciebat in Philippo, nihil agi similibus fucis. Proinde quum cerneret per illum quaedam edi non levia miracula, qualia sunt fere magorum, ut draco volitet, aut serpat culmus, sed verbo eiici daemones, verbo sanari paralyticos, vehementer stupefactus admirabatur, quanam arte aut vir-

14tute fierent ista. Caeterum ubi rumor iam pertulisset Hierosolymam ad apostolos, qui ibi resederant, Samiam per Philippum amplexam esse sermonem evangelicum, gentem crassam, nec ottinino puram ab idolatria, vehementer gavisi, miserunt ad illos apostolorum praecipuos, Petrum et Ioannem, ut per hos comprobaretur et absolveretur, quod per Philippum erat

15cooptum. Qui quum eo venissent, didicissentque quod plurimi per Philippum essent baptizati, gratias egerunt Deo. Philippus autem, qui cum illo erant, rogaverunt apostolos pro illis, ut acciperent spiritum sanctum, et qui per baptismum iam essent a peccatis purgati, copiosius etiam Dei donum acciperent, quemadmodum acceperant illi, qui primi in coenaculo spiri-

16tum sanctum acceperant. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Erat haec potestas diaconis delegata, sed impositio manuum, per quam conferebatur spiritus sanctus, solis apostolis et horum vicariis servabatur.

17Tum apostoli, ut erant rogati, imponebant illis manus, et signo visibili accipiebant spiritum sanctum, qui vi-

(*) Aliac: tandem credidit et —



gorem igneum addebat animis, ac linguas coelesti facundia locupletabat. Id ubi vidisset Simon, ille nū ¹⁸ per ex malo mago factus nihilo melior christianus, quod apostoli per impositionem manuum conferrent coeleste donum, ne quid sibi deesset ad ostentationem et quaestum, obtulit eis pecuniam, dicens: *Date et mihi potestatem istam, ut cuicunque imposuero manus, accipiat spiritum sanctum.* Existimabat magus, apud omnes omnia posse pecuniam, nec ignorans oportere facere sumtum, qui quaerit lucrum, mercari vult, quod pluris revendat. Atque hic rursus aliud seminarium exitii gravis in ecclesia. Ananias et Sapphira derant poenas simulationis. Erat et hoc exemplum statim acriter repellendum, quod si recipiatur, christiana pietatis sinceritatem penitus esset subversurum. Petrus igitur caeteris omnibus commonistrans, quid ²⁰ episcopis adversus Simonis imitatores sit faciendum, respondit: Satius est, ut ista tua pecunia, qua perdere studes alios, *pereat una tecum*, qui iam tua sponte perditissimus es, *ut qui putas donum Dei*, quod ut ille nobis ex sua benignitate gratuito largitur, ita vult, ut aliis gratis impartiamus, *redimi posse pecunia.* Cum hoc negotio, quod ex simplici erga Deum fiducia geritur, nullum esse potest tibi consortium, aut communicatio nobiscum. Quamvis enim aqua tinctum est corpus tuum, tamen cor tuum non est rectum coram Deo. Quod si perseveraris in ista malitia, nihil ²¹ tibi profuerit baptismus. Proinde poenitcat te istius malitiae tuae, ac deprecare Deum, ut si fieri posset, remittatur tibi tam enorme crimen, nondum quidem opere patratum, sed tamen ita conceptum animo, ut per te non steterit, quo minus patraris, et omnium pericolosissimum (*) exemplum in ecclesiam Dei induceris. Puris ac sinceris animis donum mitissimi spiritus committitur. Te vero perspicio cor habere mini-

(*) Alia ed. *perniciosissimum,*



me sincerum, sed amaro felle quaestus et ambitionis infectum, et ob id iniquitatis vinculis obstrictum. A quibus ut absolvatis, multis cum lachrymis est orandus Deus, ne te feriat divinae irae vindicta, quam tanto
24 facinore provocasti. Hic Simon, metu territus potius, quam facti poenitentia ductus, dicit Petro: *Vos potius pro me rogate dominum, ne quid eorum, quae dixistis, accidat mihi.* Vides duos Simones inter se compositos, Theophile, in altero demonstratum est, quid sit exsecrandum, in altero quid sit imitandum.
25 Hic igitur posteaquam Petrus et Ioannes testimonio suo comprobassent, et consummasset Philippi praedicacionem, multaque docuissent de his, quae didicerant a domino Iesu, reversi sunt Hierosolymam, atque obiter multis vicis et oppidulis Samaritarum praedicabant evangelium, numquam non agentes quod illis mandatum erat a domino. Oblata est et alia praeda Phillipo, profectus evangelici sicutientissimo. Bonis enim beneficiandi datur occasio. *Nam angelus domini submonuit illum, dicens: Surge ac proficiscere meridiem versus per viam, quae ducit ab Hierosolymis Gazam; de vetere Gaza loquor, quae nunc deserta est,*
26 vicina mari. Paruit angelo Philippus, ac profectus est, ut agnoscas alacritatem episcopo dignam, quoties ad evangelium alliciendus est aliquis. Quemadmodum autem in fabulis choragus, ita hic angelus personarum exitum et occursum temperat. Commodum enim eodem tempore iter ingressus est vir quidam eunuchus, corpore quidem exsecutus ac parum vir, sed animo masculo, gente Aethiops, cute nigra, sed mox niveo agni immaculati vellere conveстиendus, ac nativam pellem baptismi lavacro mutaturus, praefectus Candaces Aethiopum reginae, qui praepositus erat omnibus gazis eius. Audis gentem effeminatam luxu, planeque dignam, quae foeminae pateretur imperium. Luxum alunt divitiae. Is profectus fuerat Hierosolymam reli-



religionis gratia. Tanta enim erat templi celebritas, ut gentes etiam e longinquo eo se conferrent, ac dona secum deferrent. Hinc sacerdotum stomachus in eos, qui dicerent hoc templum aliquando demolendum. Pius erat animus eunuchi; sed errabat, qui religionem quaereret in templo Judaeorum, unde iam migratura esset ad gentes. Quum itaque domum rever-²⁸ teretur, sedens in currū, ne hoc tempus fabulis aut somno dabat, sed amore religionis legebāt Esaiam prophetam, nobis ostendens, ubi sit quaerendus Iesus. Non enim in templis latitat, sed in sacris libris. Hic²⁹ ubi iam occurrit Philippus, rursum submonuit eum spiritus, dicens: *Accedē et adiunge tē ad currum istum. Quīm accurisset ad currum Philippus, audivit eunuchum legētem Esaiam prophetam, et mox agnoscens religionis studium, ait illi: Intelligis nē 30 quae legis?* Tum ille: Qui nam possim homo profanis negotiis deditus, nisi sit, qui mihi sensum abstrusum exponat prophetae? Rogavitque Philippum, ut conscenderet currum sibique assideret, quo commodius colloqui liceret. Conscendit Philippus et assedit eunuchō. Hic mihi considera imaginem evangelici doctoris et populi gentium, aeventis Christum discere. Non potest autem non ingens esse profectus, ubi alter docendi avidus accurrit, alter discendi cupidus invitat ad confessum. Nihil hic agitur fortuito, omnia moderatur ac temperat Deus. Eunuchus imprudens in eum³² prophetae locum inciderat, qui Iesum Christum depingebat. Erat autem hic: *Tamquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutuit, nec aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est, generationem eius quis enarrabit?* Quoniam tollitur de terra vita eius. Hunc lo-³³ cum quum Philippus relegisset eunuchō, ille magis etiam accensus aviditate cognoscendi, de quo propheta loqueretur, ait: *Obsecro te, de quo propheta hoc*

Tom. III.

G



dicit, de se, an de alio quopiam? Vide docilem en-
nuchum. Audierat Esaiam ipsum iussu Manassae regis
sectum lignea serra, nec ignorabat hoc habere proph-
etiam, ut quod de hoc aut illo dictum videretur iuxta
sensum historicum, frequenter ad alium pertineret iux-
ta sensum abstrusiorem. Docilis est autem qui sic in-
35 terrogat. Philippus itaque libenter docturus avidum,
aperuit os suum, et exorsus ab hoc prophetae loco
summam evangelicae doctrinae illi exposuit. Nimis
quod hic esset filius Dei, per quem Deus decreverat,
ac per prophetas suos promiserat, se salutem daturum
omnibus in illo fiduciam suam collocantibus, quo-
que hac de causa voluit illum, assumto corpore huma-
no, rursum nasci ex Maria virgine. Porro quum utra-
que nativitas sit ineffabilis, sive qua sine tempore sem-
per nascitur a patre, sive qua sine viri opera per op-
ificium spiritus sancti natus est de virgine, sic humanam
naturam assumens, ut divinam non amitteret: Prophe-
ta id cernens spiritu, stupefactus dixit: *Generationem*
eius quis enarrabit? Deinde quod hic esset ille verus
agnus paschalis, cuius morte pater destinarat non Israë-
litatas tantum, verum etiam universas nationes, a servi-
tute peccatorum et ab aeterna morte liberare. Et
ideo tradidit illum in manus sacerdotum, scribarum,
phariseorum et primorum populi, per quos ductus
est ad Pilatum praefidem, ut ab eo crucifigeretur.
Apud hunc quoniam mori pro salute nostra voluit, ni-
hil respondit, ut absolveretur, sed ovis in morem omni-
bus ludibriis et afflictionibus semet ipsum praebuit.
Celavit enim illic magnitudinem suam, ac semet ho-
minum causa deiecit ad summam humilitatem. Ju-
daeи vero nihil aliud eum esse, quam quod videbatur,
rati, condemnarunt illum et ad mortem adegerunt.
Nimirum hoc est quod ait propheta: *In humilitate iu-*
dicium illius sublatum est. Condemnatus est innocens,
qui olim sublimis et excelsus rediens, iudicabit vivos et



mortuos. Deus autem filium suum revocavit ad vitam tertio die. Hinc quadraginta dies visibili et contrebili corpore versatus in terris, et subinde sese ostendens discipulis, postremo videntibus omnibus sublatus est in coelum. Rursus decimo ab ascensu die misit spiritum sanctum e coelis, qui afflavit animos et linguas apostolorum, ut intrepide praedicarent Iesum Nazarenum, salutis ac vitae principem, omnibus totius orbis gentibus, non per legem Moysi, sed per fidem et baptismum. Nihil est horum, quod non est in lege Moysi figuris designatum, quod non a prophetis predictum, quod non ab ipso Iesu traditum ac promissum. Haec aliaque permulta quum eunucho differeret Phi-³⁶ lippus, ille forte videt iuxta viam fonticulum, et ait Philippo: Cur rem tantam proferimus? En adest aqua. Tu docuisti. Ego paratus sum. Quae res obstat, quo minus statim baptizer? Tum Philippus: Nihil obstat,³⁷ si modo credas his, quae docui ex toto corde. Haec una stipulatio intercedit in baptismo. Tum eunuchus alacriter respondit: Credo Iesum esse Christum illum, a prophetis promissum, et filium Dei, per quem omnibus offertur salus aeterna. Mox Philippus iussit³⁸ fisti currum. Superbum erat vehiculum ac barbare regiae praefecto dignum. Sed descendat oportet, et omnibus ornamenti semet exuat, qui velit esse baptismo dignus. Descendit uterque in aquam, et Philippus baptizavit eunuchum, pauper divitem, humilis potentem, vir eunuchum, Judaeus Aethiopem. Adeo nullus hic personae respectus. Omnia convenient, si convenit fides et consensus in Iesum Christum. A baptismo nec eunuchus est, nec Aethiops, sed nova creatura. Caeterum Philippus simul ac egressus est³⁹ aquam, rapuit illum spiritus domini, nec amplius vidit eum eunuchus, nec desideravit doctorem suum, semel afflatus spiritu sancto per baptismum, sed gaudii plenus, quod didicisset Iesum Christum, perfecit iter



suum, ut et apud Aethiopes suos Christi nomen praedicaret. Porro angelus depositus Philippum in proxima civitate Afoto, unde venerat. Hinc profectus, ubique occurseret vicus aut oppidum, praedicabat evangelium, donec veniret Caesaream Palaestinae, ubi domicilium habebat.

CAPUT IX.

Intra haec, Sauli saevitia non sese continebat intramuros urbis Hierosolymitanae, verum ubi perspexit, per dissipatos discipulos latius etiam spargi doctrinam evangelicam, magis ac magis spirans iam nori minas tantum ac carceres, sed caedem et mortes adversus illos, adiit summum pontificem, quo magis attereret eos, armatus auctoritate, et petiit ab illo epistolas delegatorias, non solum in civitates vicinas, in quibus iam exercuerat saevitiam suam, sed usque ad Damascum, procul ab Hierosolymis dissitam, Phoenices civitatem, scriptas ad synagogas Judaeorum illic agentium, ut his ex auctoritate summi pontificis opitulantibus, quoscumque deprehendisset huius damnatae haereleos, five viros, five mulieres, eos vincitos perderet Hierusalem. Haec Saulus animo simplici moliebatur, iuxta domini dictum arbitrans sese gratum obsequium praestare Deo. Et ideo non pausus est illum innoxiorum sanguine pollui, sed e medio cursu saevitiae revocavit. Quum enim iam pene confecto itinere, non procul abesset a civitate Damasco, subito circumfulxit illum lux e coelo, ac prae timore collapsus in terram, audivit vocem dicentem sibi: *Saule, Saule, cur me persequeris?* Ille demiratus, quisnam esset ille sublimis expostulator, tamque potens, dubitans angelus ne quispiam esset, an Deus, timide respondit: *Quis es domine?* Tum ille: *Ego sum Iesus*



ille Nazarenus, quem tu mortuum credis, quum vi-
vam ac regnem in coelis. Meos autem discipulos,
meumque nomen persequens, me persequeris impru-
dens. Verum nihil agis. Durum est enim tibi ad-
versus stimulum iactare calces. Non enim reluctaris
hominibus sed Deo, cuius voluntati nemo potest resi-
stere. Bis igitur peccas, et nihil profecturus, et tibi
malum accersiturus. Hac audita voce, Saulus tre-
mens ac stupefactus dixit: *Domine, quid me vis facere?* 6
Haec vox erat simpliciter errantis, non per malitiam,
sed per ignorantiam. Tales docuisse sat est. Sed ex-
pediebat deiici superbum ac ferocem, terreri spiran-
tem minas ac caedem, ut docilis fieret. Tum do-
minus ad illum: *Surge et ingredere civitatem, ibi
doceberis, quid tibi sit faciendum.* Sic percutit domi-
nus, ut sanet, sic deiicit, ut erigat, sic exoculat, ut
illuminet. Saevus ille praecipitatus est, mitis et ad
obtemperandum paratus, iussus est surgere. Dum 7
haec ita geruntur, viri, qui Saulum comitabantur in hoc
itinere, stabant attoniti, audientes quidem vocem
Paulo loquentis, caeterum neminem videntes. Saulus
autem recepto spiritu surrexit. Primus ad virtutem 8
gradus est, erigi. Et ecce rursus aliud miraculum,
quum oculos haberet apertos, nihil videbat. Comites
igitur manu ducebant illum in civitatem Damascum.
Nec statim admissus est ad donum spiritus sancti, quo
praescriberetur exemplum posteris, non cuivis statim
imponendam esse manum, sed ieunio, precatione pri-
us explorandos ac praeparandos catechumenos. Quem-
admodum igitur apostoli decem dies federant Hiero-
solymis, exspectantes spiritum sanctum, ita Saulus Da-
masci commoratus est triduum, nihil videns oculis cor-
poris, sed interim illustrabantur oculi mentis, nihil com-
edens, sed interim coelesti doctrina saginabatur ani-
mus. Erat autem Damasci discipulus quidam; sic 9
enim tum adhuc vocabantur, qui receperissent doctri-

G 3



nam evangelicam, nomine Ananias. Hunc delegerat dominus, per quem Paulum impleret spiritu sancto. Itaque compellat hunc in somnis per visum, dicens: Anania. Ille contra mox intelligens a Deo se vocari, respondit: Ecce ego, domine, videlicet animum vere christianum et ad omnia iussa promptum indicans.

11 *Tum dominus: Surge, et abi in vicum, qui vulgo dicitur rectus, et quaere in aedibus Iudee quemdam nomine Saulum, patria Tarsensem. Ecce enim illic*

orat, ambiens munificentiam nostram. Eodem tempore visus est et Saulo oranti vir quidam, dictus Ananias, domum ingredi, sibiique manus imponere, quo

reciperet oculos. Ita dominus mutua visione utrumque alteri praeparavit. Ananias autem ad Sauli no-

men, iam ob saevitiam in christianos celebre, territus

respondit: Domine, ex multis audivi de viro isto, quantis malis afflixerit sanctos tuos Hierosolymis, nec

his contentus, nunc huc etiam peryenit armatus pontificum summorum saevis diplomatis, ut in vincula

coniiciat omnes, qui invocant nomen tuum. Rursum ad haec dominus: Scio, lupum illum rapacem timetis oves. Atqui nihil est, quod metuas. Ego enim lu-

pum illum verti in ovem mansuetissimam. Proinde fac intrepidus adeas. Ego enim illum mihi velut organum insigne delegi, ut vehat nomen meum apud reges ac filios Israël. Quod haec tenus fecit, non ma-

litia, sed zelo patriae legis fecit. Et simpliciter errans iudicio, specimen praebuit, qualis propugnator sit futu-

rus evangelii mei. Haec tenus armatus pontificum bullis, minis et vinculis pugnavit adversus mei nominis professores. Posthac armatus meo spiritu, et accinctus gladio sermonis evangelici, longe fortius belligerabitur adversus osores mei nominis, pro cuius gloria multo saeviora perferet volens, quam modo parabat

vobis. His dictis animatus abiit Ananias, et ingressus est aedes Iudee. Saulum orantem reperit, cui



imponens manum, ait: *Saule frater, dominus Iesus,*
qui tibi apparuit in via, quum huic venires, misit me
ad te, ut oculos recipias, et implearis spiritu sancto.
Vix ea dixerat Ananias, illico deciderunt ab oculis 18
illius ceu squamae quaedam, ac visum recepit. Mox- 19
que surgens baptizatus est. Deinde sumto cibo corro-
boratus est. Sic eximus ille dux evangelicus, et alio-
rum apostolorum gloriam obscuraturus, per humilem
discipulum ante spiritum sanctum accepit, quam ba-
ptismum. Nihil autem non ordine geritur, quod ge-
ritur iussu domini Iesu, quem Paulus habuerat cate-
chistam. Sic enim tradiderat potestatem apostolis, ut
nihilo feci sibi servaret negotii totius summam au-
toritatem. Itaque Saulus repente factus alias, verfa-
tus est dies aliquot cum discipulis, qui erant Damasci.
Nec mora. Praevaricator mandatorum pontificis, eo- 20
dem statim in loco profiliare coepit ad munus a Christo
delegatum. Et ingressus synagogas Judaeorum, pa-
lam ac libere praedicabat, asseverans Iesum Nazare-
num esse filium Dei, per quem unum salus omnibus
offerretur, iuxta prophetarum vaticinia. Judaei vero, 21
qui Sauli saevitiam in christianos rumore cognoverant,
gaudentes sese talem habere mosaicae legis propugna-
torem, quum audissent illum tanto studio praedicantem
nomen Iesu Nazareni, mirabantur quid homini acci-
disset, quod subito factus eslet alius, dicentes inter se-
se: Nonne hic est ille Saulus, qui dudum modis omni-
bus oppugnabat Hierosolymis eos, qui invocant nomen
hoc, cuius nunc praeconem et buccinatorem agit, ac
modo huc hoc animo profectus est, ut si quas hic de-
prehenderet, vinctos adduceret ad summos pontifices,
illorum arbitrio plectendos? Qui factum est, ut tam
subito Judaeum exuerit, et a Mose deficiens, profes-
sor factus sit crucifixi? Paulus autem, iam enim hoc 22
nomen illi magis congruebat, posteaquam e turbulentia
factus est modestiae pacisque doctor, adeo nihil terri-

G 4

tus est istiusmodi Judaeorum vocibus, ut in dies maiore collecto spiritus robore, confunderet ac perturbaret Judaeos habitantes Damasci, constanter asseverans, ac scripturarum testimoniis docens, Iesum Nazarenum, quem ante per ignorantiam persequutus esset, nunc praedicaret, esse verum Messiam orbi promisum, nec alium exoritum, unde speranda fit Judaeis

23 salus. Id quum Paulus complures dies ausus esset Damasci, magno gaudio discipulorum, magno fremitu eorum, qui nondum crediderant, tandem Judaei consilium inierunt, ut illum per infidias interficerent. O nationem homicidam. Paulus disputabat, docebat, et Judaeos legis ipsorum testimoniis, veluti suo iugulabat gladio. Illi nihil habebant praeter coniurata concilia, carceres, flagra et mortes. Verum promiserat hoc dominus suis, ne pilum quidem de capite illorum peritum, nisi permisso patris. Nondum venerat tempus, ut interiret eximius ille bellator evangelicus, multa erant illi pro Christi populo depugnanda praelia, frequenter periclitandum in acie, multae regiones ac civitates sacra doctrina subactae, sub iugum Christi

24 vocandae. Proinde volente Deo significatum est Paulo, quod Judaei struerent illi infidias, adeo ut et noctu et interdiu asservarent portas, ne qua posset elabi, quin interficerent eum. Ad hoc facinus abutebant opera praefecti regis Aretae, ut si parum processissent infidiae clanculariae, palam ac vi tamen occideretur.

25 Itaque discipuli nolentes perire tam fortem propugnatorem, quanto minus ipse sibi metuebat, tanto digniorem existimabant, qui servaretur. Itaque occultarunt illum, ac noctu sportae impositum, per funem demiserunt eum e moenibus. Sic nonnunquam fugiunt et strenui duces, ut iuxta proverbium, iterum pugnare valeant. Et o mire versas in diversum rerum vices. Latitat ac fugitatem, qui paulo ante minabundus persequebatur, et Pauli vitae consulunt, qui-



bus ante caedem machinabatur. Porro quum venislet⁶ Hierosolymam, ac sese tentaret adiungere discipulis, quibus vetus ille Saulus nimium notus erat, Paulus nondum innotuerat, metuebant omnes, velut oves lupi, non credentes illi quod esset discipulus, nimirum memores, quanta saevitia solitus fit persequi gregem Christi. Suspectas igitur habebant infidias, sub discipuli titulo latentes. Barnabas autem Levites, de²⁷ quo memoravimus antea, cui cognitum erat, quod erat gestum in Paulo, adducit illum ad apostolos, qui bus rem omnem exposuit, quomodo proficisci²⁸ Damascum apparuisset dominus, et quomodo illi loquutus sit, et quomodo repente versus in alium virum, fortiter ac libere praedicasset evangelium in nomine domini Iesu. Gratulati sunt apostoli, suoque testimoni²⁹o Paulum gregi commendarunt. Ita dies aliquam multos versatus est Hierosolymae, consuetudinem habens cum apostolis ac discipulis, et illic libere profitens ac praedicans nomen domini, quod per errorem fuerat persequutus; idque non solum apud Hierosolymitas, nihil veritus apostatae convitum, quod a pontificibus descivisset, verum etiam gentibus, quae Hierosolymae tum ob celebritatem urbis agebant, ac Judeis apud Graecos natis praedicabat Iesum, disputans cum illis, et ex ipsis legis testimoniosis docens, Iesum esse servatorem mundi. Illi vero non tulerunt hanc libertatem, et adversus disputatorem invictum confugerunt ad solitum praefidium, querentes viam, qua Paulum interficerent. Sic disputant homines iudaici, Iamque nihil formidanti struebantur infidiae. Id ubi³⁰ a fratribus esset intellectum, ne quid accideret quod nolebant, deduxerunt illum Caesaream Philippi, quae civitas est Phoenices, atque hinc rursus emiserunt Tarsum in Ciliciam, ubi natus erat. Error ac circumactus Pauli profectus est evangelii. Interea mitiore iam facta tempe³¹state persequutionis, quae fuerat orta, congregatio disci-



pulorum sparsa per totam Judaeam, Galilaeam et Samariam, in quibus regionibus potissimum docuerat dominus, et in quibus primum iusserat praedicari sermonem evangelicum, satis tranquille agebat, mutua concordia sese confirmans, et neglectis hominum misis, atque in dies aegrescens aedificabatur, versans cum timore domini, et inter afflictiones malorum spiritus sancti consolatione replebatur. Hoc nimirum erat quod illis promiserat dominus: *In mundo afflictionem habebitis, in me vero pacem et solatium.* Accidit autem, ut dum Petrus, tamquam vigil ac strenuus pastor, peragrando regiones omnes, nunc hos nunc illos inviceret, perveniret etiam ad sanctos, qui habitabant 32 Lyddae. Ea est littoralis civitas Palaestinae. Illie reperit hominem quemdam nomine Aeneam, octo iam annis decubentem in grabbato. Nam erat paralyticus. Petrus autem memor praecepti dominici, quo iusserat, ut in quamcumque domum ingressi fuissent, sanarent aegrotos; non enim convenit illic esse morbos corporum, ubi adsunt medici animorum, ait illic: *Aenea, sanet te dominus Iesus Christus. Surge et sterne tibi ipsi.* Ad hanc vocem illico surrexit sanus, et stravit sibi. Hoc erat argumentum plenaे sanitatis. Ubi viderunt eum virtute nominis Iesu subito sanum esse, qui tot annis decubuerat, quotquot habitabant Lyddae et Saronae; id est oppidum in littore, Lyddae vicinum, conversi sunt et ipsi ad dominum, ac profecti sunt nomen domini Iesu. Ita salus corporis uni reddita, multos pellexit ad salutem animorum. 36 Rursum Ioppae erat discipula quaedam, nomine Tabitha, quae graece dicitur Dorcas, latine capra, ab oculorum acie ducto vocabulo. Haec abundarat quum omne genere bonorum operum, tum praecipue caritatis officiis, quibus sublevabat egentes. Accidit autem, ut eodem tempore, quo Petrus Lyddae versabatur, ex morbo, quo laborarat, moreretur. Quum autem cada-



ver ex more lavissent, uncūri posuerunt illud in coenaculo. Quoniam autem Ioppe non procul aberat a Lydda, discipulique cognovissent, quod illic esset Petrus, legarunt duos viros ad illum, rogantes ne gravaretur venire ad ipsos, Petrus nihil cunctatus venit ad illos, boni pastoris exemplum exhibens. Ubi venisset in domum, duxerunt eum in coenaculum, ut conspecto cadavere moveretur ad misericordiam. Hic circumstetere Petrum omnes viduae, quarum commendatio praecipua tum erat, necessitatibus sanctorum inservire. Addebat lachrymas, quas non tam fundebant defunctae, quam egenis, quos illa suis officiis solita est refocillare. Iam hoc ipsum erat orare, fudisse lachrymas. Non commemorant benefacta mortuiae, sed ostendunt tunicas, aliasque vestes, quas tegendis sanctis parabat Dorcas. Benefaciendi studium mors interruperat. Hic Petrus memor exempli Iesu, quum filiam archisynagogi suscitaret prius eiecta turba flentium, iussit omnes exire foras. Nam viduae tantum flebant. Fletus autem obstat preicationi. Simul ne sexus infirmus commoveretur exsurgente cadavere, noluit quemquam adesse, sed solus flexis genibus orabat. Non enim semper adest vigor spiritus, per quem eduntur miracula. Is excitatur preicatione, quemadmodum et fides, sine qua nullum editur miraculum. Fufis precibus, et concepto spiritus robore, conversus est ad corpus, et ait; Tabitha surge. Ad hanc vocem illa velut expergefacta, vedit Petrum. Eo conspecto resedit. Petrus autem porrecta illi manu erexit illam, iam vivam et alacrem. Sic ad pietatem erigendi sunt imbecilles. Orandus primum Deus, ut illorum misereatur. Deinde doctrina, increpatione, exhortatione compellandi sunt. Postremo porrecta manu ad perfectiora sublevandi. Quumque Petrus revocasset in coenaculum, quos exire iusserait sanctos, et viduas, qui et ipsi orantes exspectabant misericor-



42 diam domini, exhibuit mulierem vivam. Ea res vulgata est per universam civitatem Ioppen, ac multos pertraxit ad professionem nominis Iesu. Nam hic est praecipuus miraculorum fructus. Neque enim alioqui magni refert, inter tot millia vicissim nascentium ac morientium, unum aut alterum in vitam revocare,

43 paulo post tamen moriturum. Hac occasione factum est, ut Petrus complures dies commoraretur Ioppae. Ubi enim libentius agat pescator hominum, quam ubi magnus numerus confluit ad sagenam? Diversabatur interea Petrus apostolorum princeps, tantisque miraculis clarus et pollens, apud opificem quemdam coriarium, nomine Simonem.

CAPUT X.

1 **N**ondum apostolorum quicquam ad gentes divertit, sed per occasionem attractus est Aethiops eunuchus. Quibusdam tamen ethniis profuit apostolis fuisse vicinos. Siquidem in Caesarea florentissima Palaestinae civitate, quae prius dicta turris Stratonis, *vir erat quidam nomine Cornelius, centurio de cohorte, quae*

2 *dicitur Italica.* Hic quamquam esset ex professione maiorum ethnicus, ex officio militaris, tamen velut ambiens christianismum, pius erat ac metuens Deum. Qualis erat ipse, talis erat et universa illius familia. Fit enim fere, ut patrem familias imitetur reliqua domus. Duabus rebus potissimum declarabat animum christianismo dignum, multa munificentia sublevans egestatem plebeiorum, et assidua deprecatione ad dominum. Deum verum agnoscebat, hoc didicerat apud Judaeos versans. Sciebat huius favorem potissimum conciliari beneficiis in pauperes erogandis, et assiduitate precandi. Supererat ut habenti daretur. Is hora diei nona, quum oraret sub coenae tempus, per vi-



sum manifeste vidit angelum Dei venientem ad se , et nomine compellantem, quasi probe notum, Cornelius. Cornelius autem intuitus angelum, et ex ignotae formae maiestate metu correptus, dixit: Quis es domine? Tum angelus: Non perierunt tuae preces et elemosynae, quibus haec tenus sollicitasti divinam misericordiam. Quod enim in pauperes refocillandos collocasti, hoc Deus sibi patitur imputari, et illorum nomine, qui gratiam referre non possunt, ipse rependeret praemium. Nequaquam igitur apud immemorem collocasti tua beneficia , fecisti, quod ille voluit; ille vicissim tibi faciet, quod assiduis precibus flagitasti. Audiebat Deus tuas preces, quoniam aures tuae non fuerunt surdae pauperibus. Nunc igitur hoc agendum est absque cunctatione, ut quod superest, perficiat in te Deus suam munificentiam. *Mitte viros aliquot ad civitatem Ioppen, ac per eos accerse Simonem quemdam,* 5 apud mundum non valde nobilem, apud Deum pietate clarum, cui cognomen Petrus. *Hic diversatur apud Simonem quemdam Ioppensem, arte coriarium, cuius dominus est vicina mari.* Ex hoc Petro disces, quid tibi sit faciendum, ut salvus fias. Haec loquutus angelus evanuit. Cornelius itaque statim mittit duos e suis domesticis, simulque militem ex his, qui sibi adhaerebant, spectatae pietatis ac fidei, neque enim tota modo domus imitatrix erat religionis Corneliana, verum etiam inter milites erant, qui ducis religionem imitarentur. His quum rem omnem exposuisset de 8 visione, iussit abire Ioppen. Haec vesperi sunt acta. Postero vero die profecti sunt legati Cornelii. Talis enim tum legatio non fastidiebatur a summo ecclesiae pastore. Quum autem iam non procul abessent a civitate Ioppe, commodum Petrus ex more adscenderat in coenaculum, orandi gratia ad horam ferme sextam, circiter meridiem. Quum autem inter precandum 10 esuriret, voluit sumere cibum post longam inediam.



Atque interim dum paratur iussu Petri cibus, raptus
est spiritu. Datur hoc potissimum orantibus et ieu-
nis. Saturis enim et oscitantibus non referantur ar-
11 cana Dei. Vedit autem coelum apertum, atque inde
vas quoddam, veluti linteum magnum, quatuor ini-
tiis alligatum, e coelo demitti in terram. Nam in
12 linteis olim apponebantur cibi. In vase erat omne ge-
nus quadrupedum et serpentium, quae vivunt in terra,
ac volatilium, quae vivunt in aere, immunda mundis
admixtae. Nimirum hic erat cibus Judaeis abominan-
dus, sed quem Iesus esuriebat, quum discipulis adferen-
tibus cibum diceret: *Ego cibum habeo comedendum,*
13 quem vos nescitis. Admirante Petro quid hoc specta-
culum fibi vellet, sonuit vox, quae diceret illi: *Sur-
ge Petre, manca et vescere.* Quamquam autem do-
minus admonuerat suos, ut evangelium impartirent
omnibus gentibus, tamen quo facerent id cum maio-
14 re fiducia, denuo monitus est visione. Petrus itaque,
tamquam Judaeus adhuc abhorrens a cibis lege vetitis,
ait: *Absit domine, ut e talibus cibis vescar.* Nam ha-
etenus mihi servata est religiose maiorum lex. Nec
enim hactenus comedì quidquid profanum esset aut im-
15 purum. Ad id vox eadem, quae prius sonuerat, ita
respondit: *Quod Deus purificavit, tu homo ne dixe-
16 ris impurum.* Eadem visio quum sese ter exhibuisset
ad certiorem fidem, mox vas receptum est in coelum:
17 Petrus autem ad se reversus, dum haesitabundus se-
cum expendit, quid sibi vellet visio, somniumne esset,
an significatio divinae voluntatis, ecce viri illi, quos le-
gaverat Cornelius, stabant ad ostium Simonis eoria-
18 rii, et evocato quopiam e famulis, rogabant, an illie-
19 diversaretur aliquis Simon cognomento Petrus. Prius-
quam autem id esset Petro nuntiatum, esse qui quae-
rerent ipsum, sed tantum apud sese reputaret, quid
sibi vellet visio, dixit illi spiritus; variis enim modis
Deus loquitur sanctis suis: *Ecce viri tres adstant fori-*



bus et quaerunt te. Surge itaque et descendē, ac va- 20
de cum illis nihil haesitans. Nam a me missi sunt.
Et intelliges, quid sibi velit visio, de qua miraris. De-
scendit Petrus, et venit ad viros, aitque: Ecce ego 21
sum ille Simon Petrus quem quaeritis. Qua gratia
venistis huc? Non iactat Petrus visionem suam, sed
exigit a gentibus confessionem. Nec enim evangelii
gratia debet obtrudi fastidientibus, nec avidis negari.
Tum illi: Cornelius centurio quidem officio, sed ta- 22
men vir integris moribus, ac metuens Deum, specta-
tus ac probatus non tantum apud suos, verum etiam
testimonio totius iudaicae gentis, monitus est oracu-
lo sancti angeli, qui illi apparuit, ut te accerseret
domum suam, et audiret te praescribentem, quid esset
faciendum, ut salutem assequatur. Petrus intelligens 23
consentire visiones, quidque sibi vellet illa ter audita
vox, quod Deus purificavit, tu ne feceris impurum,
invitavit illos ut ingrederentur. Erat enim vespera,
et exceptit illos hospitio. Hoc erat auspiciū com-
mercii Judaeorum cum gentibus ad evangelii confor-
tium ultro ingerentibus fere. Caeterum apostolorum
hac in re cunctatio proficiebat in hoc, quo non teme-
re, sed plane iussu Dei factum agnosceretur, quod
gentes ad evangelii gratiam admitterentur. Invitat
Cornelius, sed angeli monitu. Descendit et occurrit
Petrus, sed visione monitus. Hinc aviditas evangeli-
cae gratiae candidata, hinc alacritas et promptitudo
fidentis salutem omnium gentium. Petrus itaque po- 24
stridie profectus est Caesaream, comitantibus aliquot
christianis ex civitate Ioppe, qui testes eorum essent,
quae gererentur. Siquidem præfigiebat illis animus
nescio quid laetae rei futurum. Cornelius interim avi-
dus salutis exspectabat redditum suorum cum Petro, con-
vocatis et cognatis suis, et amicis praecipuis, quo si-
mul et factum hoc plures haberet testes, et beneficium
ad plures diffunderetur. Iam vero quum centurionis 25



domum ingrederetur Petrus, Cornelius exhilaratus,
honoris gratia obviam processit, ac procumbens ad pe-
des eius, adoravit eum; nescio quid maius homine
sentiens de illo. Sic oportet Christum venerari in mi-
nistris ipsius, sed ita, ut ne Dei gloria tribuatur homi-
ni. Petrus itaque praebens exemplum, quam opor-
teat Christi dispensatores abesse ab ambitione, quam-
que nihil sibi vindicare laudis ob haec, quae Christi
virtute et nomine gerunt, non passus est centurionem
prostratum humi, sed amplexus erexit illum, dicens;
Surge, homo cum hominé loqueris. Istud honoris
Deo tribue, cuius ego nihil aliud sum quam minister,
27 Iamque familiariter confabulantes, simul ingressi sunt.
Ubi ventum est ad interiora domus, Petrus reperit il-
lic multos congregatos. Iam hinc copiosioris fructus
spes ostensa est avaro pastori. Ubi consedisset igitur,
sic orsus est Petrus, orator evangelicus, simul et comi-
tum suorum occurrentis offensae, et centurionis fami-
liae fiduciam confirmans. Vos scitis non esse fas ho-
mini Judaeo, adiungere sese in domesticam consuetu-
dinem, aut etiam adire alienigenas, diversae religio-
nis et incircumcisos. Ego vero, quamquam Judaeus
sum, non veritus sum id facere, haud quamquam con-
temta gentis meae religione et consuetudine, sed Dei
sequutus auctoritatem, qui mihi per visionem ostendit,
non oportere quemquam hominem cuiuscumque natio-
nis fit, impurum aut abominandum ducere, quem
Deus non haberet pro impuro. Ille enim solus san-
dificat omnia. Itaque Dei iussu fretus incunclan-
ter huc adveni per vos accersitus. Vestrum igitur erit ex-
ponere, quam ob causam accersiveritis me. Omnibus
loquitur Petrus, ut omnes lucifaciat, intelligens illos
in hoc convenisse, ut simul audirent sermonem evan-
gelicum. Ut scite pastorem agit Petrus, non imparti-
vit mysterium evangelicae doctrinae, nisi professis avi-
ditatem discendi. Ibi Cornelius coram omnibus rem,

ut



ut habebat, exposuit, dicens: Quartus hic, inquit,
dies est, quod eram domi meae, ieunans et intentus
precationi, ad horam fere nonam. Et ecce quidam
vir specie quadam augusta constitit ante me, 31
veste splendida conspicuus, dixitque mihi: Corneli, exau-
dita est tua deprecatio, tuaeque in pauperes munificen-
tiae memoria habita est in conspectu Dei. Itaque 32
mitte Ioppen, et accerse Simonem, cui cognomentum
est Petrus. Hic diversatur in aedibus Simonis coria- 33
rii, iuxta mare. Ego vero nihil moratus misi meos
ad te, non ausurus facere, nisi iussus ab angelo. Et
tuae pietati gratiam habeo, qui non sis gravatus hoc
venire. Nunc igitur omnes hic adsumus, simplici sin-
ceroque animo, cuius Deum testem facimus, cupientes
audire, quaecumque tibi praecepta sunt a domino, ut
nobis exponeres. Id enim angelus mihi pollicitus est,
qui praebuit hanc fiduciam, nec dubitamus, quin id fa-
cturus sis, quando tu quoque divino iussu non dedigna-
tus es nos colloquio. Ibi Petrus, cognita sinceritate 34
illorum, aperuit os suum, coepitque loqui hunc in
modum: Re ipsa comperio, quod apud Deum non est 35
respectus personarum, sed in quavis gente quisquis
timet ipsum, et amplectitur iustitiam, hic acceptus
est illi, posteaquam video vos alienos a nostra lege,
tamen verum et unicum Deum nobiscum colere, sacris
precibus illi quotidianas immolare victimas, et suble-
vandis pauperibus illius favorem ambire. Quandoqui-
dem haec est doctrina legis et prophetarum. Quam- 36
quam autem Deus olim pollicitus per ora prophetarum,
se missurum Messiam, hoc est Christum, nunc tandem
praestitit quod promiserat, significans filii Israël, non
iam per prophetam, sed per unicum filium suum Ie-
sum Christum, offerens illis per fidem et obedientiam
erga eum, quem misit, abolitionem peccatorum, et re-
conciliationem erga ipsum, tamen quoniam idem est
omnium Deus, non solum Israëliticae gentis, vult

Tom. III,

H



hanc gratiam omnibus esse salutiferam, quicumque
37 credunt evangelio. Nec dubito, quin huius rei fama
per universam Judaeam divulgata, permanarit ad vos
quoque, de Iesu, qui peragravit omnes Judaeae regio-
nes, hortans omnes ad poenitentiam, testificans adeste
iam regnum Dei. Auspicatus est autem potissimum
evangelii praedicationem a Galilaea, posteaquam ba-
ptizatus esset a Ioanne, qui praecursor eius fuit, ac pa-
lam testimonium de illo perhibuit, quod Iesus Nazar-
38 enus esset agnus Dei, qui tolleret peccata mundi,
quodque Deus Messiam suum unxiisset spiritu sancto,
quem columbae specie velut e coelis descendente, et
manentem in illius vertice viderat, quodque is esset
solus, qui baptizaturus esset omnes credentes, non
aqua, quemadmodum ipse baptizabat, sed virtute coe-
lesti. Hanc enim dominus Iesus ipsis factis declaravit,
obambulans per omnes Judaeorum regiones, opitulans
omnibus, non solum docendo philosophiam evangeli-
cam, per quam sanantur animi, verum etiam sanandis
aegrotis, eiiciendis daemonibus, mundandis leprosis,
excitandis mortuis, denique sublevandis omnibus, quos
diabolus tenebat oppressos. Hic enim ut solus erat im-
munis ab omni peccato, ita solus potuit diaboli tyran-
.nidem, qui regnum habet in eos, qui peccato sunt ob-
noxii, frangere. Deus enim erat in filio, virtutem
suam exserens, cui nulla potestas satanae potest resiste-
re. Haec omnia quum sint vulgata per universam Ju-
daeam, non dubito, quin vobis etiam audita sint, et
39 credita. Caeterum quo certior fit vobis harum rerum
fides, nos qui cum illo, quum adhuc mortalis inter-
mortales viveret, perpetuam ac domesticam consuetu-
dinem egimus, testes sumus omnium, quae gessit in
omnibus regionibus Judaeorum, atque etiam Hiero-
lymis, quem summi pontifices scribæ et pharisaei, con-
sentientibus primoribus et populo, occiderunt, suffixum
in crucem, pro tot beneficiis pessimam gratiam refe-

rentes. Sed Deus, cuius permisit haec omnia facta⁴⁰ sunt ad salutem humani generis, tertio ab obitu die revocavit illum in vitam, ac donavit immortalitatem. Ad confirmandam huius rei fidem exhibuit seme ipsum vivum, audiendum, conspiciendum; manibus contredicendum, non toti populo, quemadmodum fecerat⁴¹ ante mortem, sed certis testibus, quos ante Deus in hoc selegerat, videlicet nobis, quibus frequenter apparuit, posteaquam resurrexerat a mortuis, quadraginta dies versans in terris, qui que comedimus ac bibimus cum illo comedente et bibente, ne qua dubitatio animis nostris haerete posset de veritate corporis suscitati. Priusquam autem adscenderet in coelum, pree⁴²cepit nobis ad hoc murus selectis, ut palam omnibus praedicaremus, testificantes quod ipse sit unus, quem Deus exexit in summam potestatem, ut in fine mundi sit iudex omnium, vivorum ac mortuorum. Interim offer⁴³ tur omnibus certum ac facile remedium. Etenim quod nos de illo, id de eodem magno consensu iam olim testificati sunt omnes prophetae, quod hic unus sit ac solus, per cuius nomen danda sit remissio omnium peccatorum, non solum Judaeis, verum etiam omnibus per universum orbem terrarum nationibus, non per opera, quibus fidunt Judaei, sed per fidem, qua creditur evangelio, et per evangelium Christo. Non dum⁴⁴ finierat hunc sermonem Petrus, ecce spiritus sanctus, signo visibili delapsus e coelo, venit super omnes, qui audiebant et credebat verbis apostoli. Ea res obstu⁴⁵ pefecit Judaeos, ad evangelicam doctrinam conversos, qui e civitate Ioppe Petro comites venerant, ut testes essent eorum, quae gererentur, admirantes, quod in gentes quoque, qui circumcisi non erant, effusa esset gratia spiritus sancti. Existimabant enim, quod ad solos Israëlitas pertineret promissio prophetarum, quum prophetae nominatim praedixerint, Dei spiritum effundendum in omnes, quicumque invocarent nomen

domini. Signum autem, quod oculis viderant, res
46 ipsa consequuta est. Cooperunt enim omnibus audien-
tibus loqui variis linguis, laudibus ferentes benigni-
tatem Dei. Hoc signum tam evidens datum est cir-
cumcisis qui aderant, ne posthac dubitarent etiam in-
circumcisos vocare ad Christum. Datum est et Cornelii
familiaribus, ne quid dubitarent sese per credulitatem
aequatos Judaeis absque legis praesidio. Inversus est
autem ordo dispensante Deo, catechumenis primum
datur baptisma, deinde per impositionem manuum
spiritus sanctus. Hic absque manuum impositione prius
datus est spiritus sanctus, ne dubitaret apostolus, quod
levius erat addere, posteaquam Deus id, quod maius
est, ultiro largitus esset. Tum Petrus velut ex consensu
Judaeorum facturus quod destinarat, ait comitibus suis;
47 *Num quis prohibere potest, quo minus (*) baptizentur
hi, licet incircumcisi, qui iam spiritum sanctum ac-*
48 *ceperunt, quemadmodum et nos?* Assentientibus illis,
iussit eos baptizari in nomine Iesu Christi. Quum his
rebus feliciter peractis Petrus adornaret redire Ioppen,
rogayerunt eum, ut apud ipsos diebus aliquot commo-
raretur, cupientes plenius edoceri de praceptis evan-
gelicis. Obtemperavit Petrus, sed rogatus. Nove-
rat enim, Judaeos vix laturos domesticam consuetudi-
nem actam cum incircumcisim.

CAPUT XI.

Huius facti rumor permanavit ad caeteros apostolos,
qui manserant Hierosolymis, et fratres qui erant in Iudea,
quod gentes quoque recepissent sermonem Dei. Id enim
eo minus latere potuit, vel quod centurio ipsa munieris di-
gnitate nobilis erat, vel quod multi simul baptizati sunt,
vel quod Judaeis testibus id factum esset; nam eunuchus

(*) Alia addit: aqua.



solus sine teste baptizatus est in via, veluti suffuratus evangelii gratiam a Judaeis, vel quod in civitate celebri Palaestinae. Petrus autem non ignarus, futurum ut haec res vulgaretur, nec defuturos Judaeos, qui factum reprehenderent, cavit omnibus modis, ne iure posset reprehendi, Deo quoque huius animo subseriente, in quo, ne quid haereret scrupuli, visio ter exhibita est. Rursus per spiritum discit, adesse legationem a Cornelio, eam non statim admittit in aedes, ne Judaeus videretur affectasse commercium cum ethniciis, sed pro foribus compellat, et adhibitis testibus rogat, cur venissent Judaeis, qui aderant, hoc sciscitur potius quam sibi. Deinde ubi cognovit utrumque respondere visiones, non proficiscitur illo, nisi adiunctis sibi Judaeis aliquot probatae fidei, quibus testibus et quorum consensu res gereretur, quo post ex testibus fierent adversus obmurmurantes patroni. Rursum ubi ventum est ad aedes Cornelii, non statim ingressus est, velut avidus colloquii, sed misit qui denuntiarent adesse Petrum, ut per occurrentem Cornelium induceretur, non ignarus, quanto studio foret excipiendus. Procidit ad pedes centurio, adoravit Petrum. Haec Judaeis, qui aderant, arguebant admirandam animi promptitudinem. Rursus iisdem praesentibus rogat, quam ob rem esset accersitus, ut plus haberet fidei apud Judaeos comites narratio, ex ore Cornelii audita. Postremo spiritus sanctus ultro missus est, nondum effusa precatione, nec impositis manibus, nec dato baptismo. Ac ne sic quidem baptizavit illos, nisi compellatis, qui aderant, circumcisibus, ac testificatus non esse integrum illis negare baptismum, quibus Deus impartisset spiritum sanctum. Haec nimirum erat illa Petri pastoris evangelica prudentia. Noverat ingenium Judaeorum, quam sibi placerent ob recisam pelliculam, quam aversarentur incircumcisos. Proinde nihil non facit, quo vitaret offendiculum. Cupiebat gentes in

H 3



evangelii venire consortium; caeterum absque dispenso gentis iudaicae, si fieri posset. Itaque quum accidisset, ut Petrus rediret Hierosolymam, quo iam rumor de Cornelio baptizato praecesserat, discepabant adversus illum hi, qui ex circumcisione fuerant amplexi doctrinam evangelicam, dicentes: Cur ingressus es aedes incircumcisorum praeter instituta maiorum, nec hoc contentus, etiam mensam habuisti cum illis communem, qui cibis vescuntur Mosis lege vetitis? Hic non decebat Petrum esse mutum, sed ab initio repetens, ordine rem omnem, ut habebat, exposuit, dicens: Evidem non ausim violare legem a maioribus traditam, sed eius auctoritatem sequutus sum, qui maior est lege. Ego eram in civitate Ioppe, iejunus ac preicationi vacans, ne quis inane somnium fuisse suspicetur. Quumque stimulante fame, iussisse apparari cibum, interim raptus sum, et in exstasi vidi visionem huiusmodi. Vasis quoddam instar magni lintei, a quatuor angulis alligatum e coelo demittebatur, ab veniebat usque ad me. In quod quum intendissem oculos famelicus, considerabam quid esset cibi. Atque ibi vidi quadrupedum varia genera, tum noxias bestias, praeterea reptilium ac volucrum diversas species, a quarum esu lex iubet nos abstinere. Haec contemplati vox etiam insonuit, cunctantem ad edendum exhortans, quae diceret mihi: Surge Petre, macta et vescere, cui tum respondi: Absit domine. Nam haec genus nihil impurum aut immundum ingressum est in os meum. Hic vox iterum audita, ita respondit: Quae Deus purificavit, tu homo quum sis, ne dixeris communia. Ea visio ter exhibita est. Deinde recepta sunt in coelum omnia illa, quae mihi videbantur abominanda. Reversus autem ad me, dum meo cum animo versarem, quid sibi velleret haec visio toties exhibita, me statim submonet spiritus, adesse pro foribus domus, in qua diversabar, tres viros e Caesarea



missos ad me. Iussit autem idem spiritus, ut irem cum ¹² illis, nihil haefitans. Obtemperavi visioni et iussis spiritus sancti, profectus sum Caelareani, non solus, sed comitantibus hisce sex fratribus, ut essent testes omnium, quae gererentur voluntate Dei. Ingressi sumus domum hominis, qui accersiverat nos. Is omni- ¹³ bus audientibus narravit, quomodo paucis ante diebus, quum iejunus et orans esset domi suae, vidisset angelum clara luce adstantem sibi veste praefulgida, dicentem ipsi: *Corneli, mitte e tuis Ioppen, qui accersant tuo nomine Simonem cognomento Petrum.* Is loquetur ¹⁴ tibi per quae salutem affequaris, et tu et tota domus tua. Ego videns hinc et hinc consentire visiones, tum ¹⁵ animadvertis illorum sinceram aviditatem, exorsus sum illis exponere, quae dominus Iesus per nos voluit praedicari. Nondum finieram sermonem, et ecce spiritus sanctus delapsus est e coelis in illos, quemadmodum delapsus est initio in nos, et cooperunt loqui variis linguis, quemadmodum nos tum loquebamur. Hoc signum palam arguebat, illorum fidem approbari Deo. Iamque res ipsa me docuit, quid sibi vellet visionis aenigma, quod videram. Haec nimirum erant illa quadrupedia reptilia et volatilia, quae nos circumcisi abominamur, sed Deus per fidem purificare decrevit, nec vult quidquam a nobis haberi pro immundo, quod per fidem evangelicam sanctificatum est. Simulque ¹⁶ recordatus sum verbi, quod dominus nobis dixit ad sensurus in coelum: *Ioannes quidem baptizabat aqua, vos autem baptizabimini spiritu sancto.* Et nos quidem tingimus corpus aqua, sed aqua non confert salutem, nisi fides impetraret a Deo baptismum igneum. Quum igitur res ipsa loqueretur, illos iam esse bapti- ¹⁷ zatos eo baptismo, quem promiserat dominus Iesus, quum eamdem gratiam esse collatam incircumcisus per fidem, quam nos accepimus, non ob merita legis observatae, sed ob credulitatem, qua confisi sumus domi-

no Iesu Christo, ego quis eram, qui possem vetare dominum? An iam a domino spiritu baptizatis negare debui baptismum aquae, quae nihil aliud est, quam signum gratiae divinitus conferenda? Atqui iam gratia praecesserat citra nostram operam. Itaque negare baptismum aquae, quid aliud fuisset, quam improbare,
18 quod fecisset Deus? His auditis obticuerunt, et glorificaverunt Deum, dicentes: Igitur ipsa res docet, quod Deus non Israëlitis tantum, sed et gentibus concessit poenitentiam, ut vitam assequantur aeternam. Atque has quidem evangelii primitias ex gentibus Petrus adiunxit ecclesiae. Nam an tehac nullus id ausus est, praeter unum Philippum,
19 idque angelo monitore. Nam illi, quos persequutio nis tempestas a Stephani morte orta disperserat, per agrarunt vicos et urbes usque ad Phoenicen, et huic oppositam insulam Cyprum; praeterea Antiochiam, quae Phoenicen a Cilicia dirimit, apud omnes praedicantes sermonem evangelicum ab apostolis acceptum, nemini tamen ausi communicare, nisi solis iudaicae gentis, non id quidem invidentia, sed religione, putantes esse nefas sanctum dare canibus, quod dominus
20 vetuerat fieri. Exorti sunt autem viri quidam ex his, qui crediderant, gente Cyprii et Cyrenaei, qui quum ingressi essent civitatem Antiochiam, ausi sunt de Christo loqui Graecis, praedicantes illis dominum Iesum, et
21 profecerunt, domini favore rem bene fortunante, viresque et animum sui nominis praeconibus addente.
22 Siquidem ex his quoque copiosus hominum numerus, credens evangelio, conversus est ad dominum. Huius rei rumor pervenit ad aures ecclesiae, quae erat Hierosolymis. Hac de causa per apostolos missus est eo vir apostolicae sinceritatis Barnabas Levites, genere Cyprius, qui praefens dispiceret, quid illic ageretur, et si ex voluntate Dei factum esse comperisset, auctoritate apostolorum comprobaret. Tanta erat cautio in



recipiendis ad evangelium gentibus, non quod id non magnopere cuperent apostoli, sed ne vel ut temere factum in posterum a Judaeis rescinderetur, vel sibi parum fiderent gentes, quasi legis opus haberent praesidio. Itaque Barnabas ubi pervenisset Antiochiam,²³ comperissetque per fidem absque legis professione Graecos eamdem Dei gratiam assequutos, quam Judaei acceperant, magnopere gravis est, augeri numerum credentium, et adhortatus est omnes, ut constantes in eo proposito perseverarent, adhaerere domino. Erat²⁴ enim vir bonus ac plenus spiritu sancto, fideisque. Itaque factum est huius praedicatione, ut ingens praeterea multitudo adiungeret sese priori numero profitentium dominum, Quoniam autem Antiochia vicina est Cili-²⁵ ciae, invitavit eum ipsa loci propinquitas, ut quareret Paulum, ad hoc negotium p[re]caeteris idoneum, videlicet a Christo delectum, ut nomen ipsius illustraret apud gentes et reges terrae. Nam hunc Hierosolymis fugientem discipuli deduxerant Caesaream Phoenices, unde profectus est Tarsum. Quem quum illic²⁶ invenisset, perduxit Antiochiam, quod in civitate frequenti ac celebri, sed ex Graecis Judaeisque confusa, speraret fructum copiosiorem per apostolum, ad hoc muneric p[re]cipue delectum. Simul itaque versati sunt Antiochiae totum arnum in ecclesia credentium, quae illic ex Graecis ac Judaeis satis numerosa confluxerat, cui ex doctrina amborum, videlicet Pauli et Barnabae, accessit etiam magna vis hominum, adeo ut qui prius dicebantur discipuli, suppresso ob invidiam Christi nomine, primum Antiochiae ex auctoris vocabulo, coepissent dici christiani. His temporibus venerunt An-²⁷ tiochiam ex urbe Hierosolymorum, prophetae quidam,²⁸ e quibus unus nomine Agabus, surgens in congregacione, significavit illis ex afflato spiritus, magnam famem futuram in universo terrarum orbe. Ea accedit sub Claudio Caesare, qui successit Caligulae. Quo-²⁹

H 5



niam autem qui Hierosolymis agebant partim tenues ve-
nerant ad evangelii professionem, partim quod habebant
erogaverant in commune, partim ob professionem Ie-
su Christi, per sacerdotes erant spoliati bonis suis; con-
stituerunt ut ex collatione eorum, quibus suppeditabat,
praecipue qui ex gentibus acceperant evangelium, colle-
cta pecunia mitteretur in subsidium christianis habitan-
tibus in Iudea, sic tamen, ut nemo cogeretur ad con-
ferendum, sed ut quisquis volens ac lubens pro modo
facultatum suarum largiretur. Idque factum est uti
50 constituerant. Ea pecunia missa est Hierosolymam per
Paulum et Barnabam ad seniores, ut illorum arbitrio
distribueretur, (*) quibus erat opus.

CAPUT XII.

I **D**um hanc legationem obeunt Paulus et Barnabas, Herodes rex, qui decollarat Ioannem, et Christum alba veste amictum ludibrii causa Pilato remiserat, dolens hoc hominum genus in dies increscere, et nomen Iesu regis Iudeorum per multas regiones inclarescere, existimavit illud sua quoque referre, ut ea factio gliscens extingueretur, nimirum satana per organa sua moliente, quod antea fuerat molitus, sed ad nihil aliud proficiens, nisi ut Iesu nomen redderet gloriosius. Herodes igitur regaliter ac simpliciter agens, misit satellites suos armatos, ut affligeret aliquot ex congregazione Iesum Nazarenum profitentium, rerum omnium dominum. Itaque qui Ioanne decollato didicerat, amputare cervices piorum hominum, ac libere veritatem profitentium, iniecit manus in Iacobum apostolum Ioannis fratrem, quod is tum inter apostolos praecipuae auctoritatis haberetur, et hunc constantem in praedicatione nominis Iesu, gladio plecti iubet. Hanc crudelitatem ubi vidit esse non ingratam genti iudaicae,

(*) Alia: et non distribuebatur,



adiecit facinor; facinus, ac Petrum quoque inter apostolos praecipuum iussit apprehendi, sperans fore, ut submoto pastore, grex facile dissiparetur, quo nimis consilio Judaei dominum Iesum prius occiderant, abstinentes ab apostolis. Quo minus autem et hunc statim occidet, obstitit tum quidem dies Azymorum, apud Judaeos eximie religiosus, quo tempore Iesum etiam veriti fuerant Judaei occidere. Atque haec est iudaica religio in observandis diebus festis. Non verentur litare populo innocentis hominis sanguine, sed verentur violare festum diem, quasi purus sit ab homicidio, qui iam decrevit occidere. Comprehensum 4 igitur Petrum detruidi iussit in carcerem, ac ne qua posset elabi, quemadmodum fuerat elapsus Paulus, addidit quatuor militum quaterniones, qui vincum asservarent, ne quis vi posset eripere. Decreverat enim, exactis diebus festis hanc victimam producere populo, sicuti sanguinem innoxiorum. Qualis populus, talis rex. Interea nec Petrus recusat carcerem, praemonitus a domino haec eventura, nec discipuli tumultuantur aduersus impiam violentiam tyranni, memores dominum praecepsisse, ut bene precarentur etiam ipsos persequenteribus. Non sufficiebat Herodi carcer, non geminae catenae, nec unus militum armatum quaternio, videlicet ut crudelis impii regis diligentia proficeret ad cumulandam Christi redemptoris gloriam. Ac Petrus quidem sic asservatus diem festum agebat in carcere. Interim ecclesia discipulorum sollicita de suo pastore, non desinebat diurnis ac nocturnis precibus rogare dominum pro salute Petri. Quum 5 autem peractis diebus festis Herodes esset illum producturus ad populum, commodum ea nocte, quae diem educendi praecedebat, Petrus dormiebat inter duos milites vincus catenis duabus. Caeteri milites obsidebant ostium carceris, excubias agentes. Et ecce 7 angelus domini repente adstitit Petro, simulque lumen



admirandum illustravit habitaculum, discussa caligine
tum carceris tum noctis. Stimulatoque Petri latere,
excitavit eum, dicens: Surge velociter. Protinus ad
hanc vocem exciderunt catenae de manibus eius. Mox
8 angelus: Cinge te, ac pedibus tuis subliga soleas, ne
quid hic exuviarum resinqwas. Quum obtemperasset
Petrus, rursum angelus: Indue pallium tuum ac se-
9 quere me. Praecedentei angelum sequens Petrus coe-
pit exire carcerem, nondum intelligens haec vere fieri,
quae fiebant per angelum, sed existimans se videre vi-
10 sionem, quemadmodum ante viderat. Caeterum ubi
iam praeterissent primam et item secundam custodiam,
venerunt ad portam ferream, quae dicit ad civitatem.
Haec ultro aperta est illis, quamlibet seris et obicibus
munita. Egressi itaque processerunt, donec praeteri-
rent vicum unum civitatis, et continuo angelus eva-
nescens reliquit Petrum, quemadmodum subito adsti-
11 terat. Petrus autem circumspiciens, ac noscitans ci-
vitatis partem, in qua tum erat, reversus ad se dixit:
Nunc video non esse somnum, quod geritur, sed do-
minus misertus suorum misit angelum suum, et eri-
puit me de manibus Herodis, qui me decreverat Ju-
daeis immolare, simul et regis eludens crudelitatem,
12 et plebis avidam exspectationem. Quumque secum de-
liberasset, quo potissimum se reciperet in tutum, hu-
ius rei laetitiam discipulis suis impartitur, petiit do-
mum Mariae, quae erat mater Ioannis, non eius, qui
frater erat Iacobi, sed qui cognomento dictus est Mar-
cus, in cuius aedibus erant multi congregati, simul
13 orantes pro liberatione pastoris. Quum autem Petrus
pulsaret ostium ianuae, quae spectabat ad viam, pro-
diit puella, ut subauscultaret, quid esset rei. Ei no-
14 men erat Rhode. Quam ut Petrus sensit venisse ad
ostium, admonuit ut celeriter aperiret. Illa simul ut
agnovit vocem Petri, stupefacta insperato gaudio non
aperuit ostium, sed intro recurrens, nuntiavit Petrum



stare pro foribus. Illi vero non ignari, quam diligenter Herodes curasset Petrum asservandum, responderunt puellae: Tu sana non es. Quum illa constanter asleveraret, rem sic habere, quidam dicebant: Non est Petrus, sed angelus eius est, qui vocem illius exprimit! Persuasum enim erat, suum cuique angelum esse custodem et affectatorem, qui nonnunquam ipsius hominis imaginem repraesentaret. Quum interim Petrus non desisteret pulsare fores, aperuerunt ostium. Ingressum Petrum viderunt et obstupuerunt. Quumque domus perstreperet gratulantium vocibus, Petrus manu innuit illis, ut filerent et auscultarent taciti, ne quis ex insito gaudientium strepitu deprehenderet, quod acciderat. Ubi conticuissent, exposuit illis ordine rem omnem, quomodo dominus per angelum suum eduxisset ipsum e carcere. Haec, inquit, facite, ut sciat Iacobus frater domini; is erat episcopus Hierosolymorum, caeterique fratres, ut huius gaudii nobiscum participes sint. Sic Deus optimus laetis tristia, et tristibus laeta temperat, ne deiiciamus animo. Haec loquutus Petrus statim egressus illinc, recepit se in alium locum, ubi tutius latitaret ob metum Herodis, cuius obstinatam crudelitatem noverat. Quum vero diluxisset, milites, quibus erat delegata custodia, videntes catenis integris et foribus clausis elapsum esse captivum, non mediocriter turbati sunt, admirantes quid actum esset de Petro. Herodes autem quum requisivisset Petrum, producturus illum ut condemnaretur, nec esset repertus in carcere, examinatis custodibus, iussit illos duci in carcerem, sumturus de illis supplicium, ubi vacaret. Verum Herodis rabiem Deus suorum misertus coercuit, simul et apostolorum incolumenti consulens, et militum. Non enim decebat, ut Petri salus occasionem exitii praeberet innoxiis. Incidit enim interea, cur Herodes proficeretur Caesaream Palaestinae. Erat autem infensus Tyriis et Sidoniis, iamque desti-



nabat bellum inferre. Verum illi hac re cognitā, consentientibus animis veniunt ad eum, et persuaso Bla-
 sto, qui praefectus erat cubiculo regio, petebant pa-
 cem, eo quod necessariam sibi ducerent vicini regis
 amicitiam, propterea quod quām Tyriorum et Sidonio-
 rum opulentia potissimum esset ex negotiatorum com-
 merciis, plurimum compendii capiebant ex pacatis re-
 gionibus finitimiis, nec sine gravi iactura bellum susci-
 pere poterant, intermissa libertate exportandi et im-
 portandi. Caeterum his rebus compositis, quum solen-
 ni quodam festo, quod votivum celebrabatur ob Cae-
 saris incolumentem, qua gratia convenerant eo totius
 provinciae prōceres, secundo spectaculorum, quae
 multa edebantur, die Herodes e sublimi concionare-
 tur ad populum, induitus veste miro artificio ex ar-
 gento auroque contexta, posteaquam solis fulgor exce-
 ptus sint regiae vestis, ex repetibili veluti fulgur quod-
 dam imitans, perstrinxerat omnium oculos, acclama-
22 tum est ab adulatrice multitudine: *Dei vox, non ho-*
minis, quasi viderent in illo aliquid homine maius.
 Haec adulatio populi saepe facit, ut pro regibus habeant
 tyrannos, dum illis tribuunt divinitatem, qui vix homi-
 nis vocabulo digni sunt. Atque illi vicissim adulantur (*)
 populo, spectaculis, ludis obscoenis, nonnumquam et
 caede bonorum virorum, quemadmodum ante caede
 Iacobi commendarat se populo. Nec hanc tam impia-
 mi adulacionem Herodes respuit, non execratus est,
 sed homo miserabilis ac mox peritus, Deus haberi
23 gaudebat. Aderat autem mox ultio divina. Protinus
 enim in ipsa concione percussit illum angelus domini,
 quem respiciens vidit a tergo adstantem, eo quod ho-
 mo sibi vindicasset honorem, nulli creaturae commu-
 nicabilem. Subitoque dolore morbi correptus, quo
 vix alius vel foedior vel cruciabilior, vermis corpus
 illius erodentibus, intra paucos dies cruciatus vi mor-
24 tem obiit. Ad hunc modum sublato dominici gregis

(*) Aliae: *atque — adulentur*



persequutore, sermo evangelicus crescebat, ac multiplicabatur. Barnabas autem et Saulus defuncti his,²⁵ quae receperant a fratribus curanda, traditaque et per apostolos distributa pecunia, quae missa fuerat in subfidiū egentium, reliquerunt Hierosolymam, ac repetunt Antiochiam, adiuncto sibi comite Ioanne, cui cognomentum erat Marcus.

CAPUT XIII.

Effluerat autem ecclesia Antiochena, sic ut haberet aliquam multos, prophetiae dono pollentes, rursus alios docendi gratia praeditos. Inter quos erat Barnabas et Simeon, qui latina voce dictus est niger, praeterea Lucius patria Cyrenensis, et Manahen, qui fuerat simul a puerō enutritus cum Herode tetrarcha, a cuius familiaritate defecerat ad Christum. Sed inter hos praecipuus erat Saulus, omnibus apostolicis dotibus excellens unus. Porro quum omnes hi magno studio servirent ecclesiae commodis, dotes suas ad omnium salutem, et Christi gloriam fideliter impartientes, quo non aliud est sacrificium Deo gratius, ieunantes interim, ut puris etiam precibus adiuvarent ecclesiae profectum, non solum officio: Spiritus sanctus motus illorum votis, per prophetas significavit, quid fieri vellet, dicens: Segregate mihi Barnabam et Saulum, duos ex omnibus praecipuis, ut incipient eo fungi munere, ad quod illos potissimum accersivi, videlicet ut doctores sint gentium, lateque per hos disseminem sermonem evangelicum. Factum est, quod iussit spiritus,³ separati sunt ab aliis Barnabas et Saulus, ut omnibus esset conspicuum, qui deligerentur. Quumque ieunio et precatione concordi domini favorem implorasent, ut munus quod aggrederentur feliciter verteret ecclesiae, qui praeminebant inter illos auctoritate, im-



posuerunt illis manus, ac dimiserunt, quocumque spi-
4 ritus sanctus illos ageret, profecturos. Primum ita-
que impulsu spiritus Barnabas et Paulus abierunt Se-
leuciam, id est Antiochiae promontorium, atque hinc
5 navigarunt in insulam Cyprum. Quum autem appu-
lissent Salaminem, ea est celebris eius insulae civitas,
quae primum occurrit ab oriente, praedicarunt non
fabulas humanas, sed sermonem Dei, nec id furtim,
sed in synagogis Judaeorum, quorum ibi magna vis
erat ob Syriam vicinam. Habebant autem huius mu-
neris consortem Ioannem cognomento Marcum, quem
secum abduxerant Hierosolymis. Hoc honoris ubique
tributum est Judaeis, iuxta Christi mandatum, ut pri-
mum illis deferretur evangelium, ne gens querula ac
6 morosa clamitaret sese despectam. Id facientes per-
agrarunt totam insulam, donec pervenirent Paphum, ci-
vitatem Veneri sacram. Nam haec est ad occidentale
latus Cypri postrema. Hic invenerunt Magum quem-
dam nomine Bariesum, quasi dicas Iesu filium, natio-
ne et religionis professione Judaeum, et huius praetex-
tu sibi falso vindicantem prophetiae spiritum. Is ad-
haerebat eius insulae proconsuli Sergio Paulo, viro
alioqui prudenti. Nam hoc hominum genus sese in
magnatum amicitiam solet insinuare, quo corruptis il-
lis graviorem perniciem invehant rebus mortalium.
Proconsul itaque quum accepisset, evangelicam doctri-
nam disseminari per Cyprum, non solum non obstitit
illi, verum etiam Barnabam et Paulum accersivit ad
7 se, cupiens ab illis discere doctrinam coelestem. Sed
evangelio proficieni resistere conabatur Bariesus, Iesu
servatoris inimicus, ac veritati sese proferenti obnite-
batur falsitatis artifex, et apostolis veris prophetis
repugnabat Elymas, quae vox Syris magum sonat, et
pseudoprophetam. Videns enim proconfulem avidum
cognoscendi sermonis evangelici, et intelligens, post-
hac non fore locum fucatis artibus apud eos, qui soli-
dam,



dam veritatem didicissent, conabatur proconsulem avertere, ne fidem haberet dictis apostolorum. Hic 9 animadverte conflictum inter artes humanas et vigorrem evangelicum. Saulus qui idem dictus est Paulus, non tulit hominem spiritu satanae plenum, malitiosis artibus pugnantem adversus simplicem veritatem, sed toto pectore concepto divini spiritus impetu, defixis in magum oculis, ait illi: O plene omni dolo, omni-10 que versutia, referens patrem tuum diabolum, qui prius fraudulentia sua, mendaciisque pellexit hominem in exitium! O omnis iustitiae et sinceritatis hostis, et in hoc declarans te filium esse diaboli, siquidem ille primus ademit innocentiam homini, tu renascenti iustitiae bellum indicis. Nec tibi satis est, haec tenus illusisse fraudulentis artibus hominum simplicitati, quin nunc etiam posteaquam Deus vult per universum orbem veritatem evangelicam, quae fucum nescit, elucescere, tu tamen in tua malitia pertinax, non desiris reluctari voluntati divinae, magis tuae falsae gloriae ac turpi quaestui consulens, quam tuorum tuaeque saluti. Ut autem intelligas adversus evangelicam ve-11 ritatem nihil valere daemonum artes, ecce iam nunc senties illius potentiam, cuius voluntati repugnas. Prophetam et videntem te iactas, quum sis caecus animo. Hic verba dedisti hominibus, qui iudicant ex his, quae vident, Deus autem, qui novit caecitatem cordis tui, mox eripiet tibi oculos corporis, ut omnes te videant vere caecum et indignum, qui videoas hunc solem corporeum omnium oculis conspicuum, qui aduersus solem evangelicae veritatis, nunc mundo exorientis, bellum institueris. Haec erit ultio divina, donec resipiscas. Vix ea dixerat Paulus, quum subito corripit magum profunda caecitas ac nox oculorum, adeo ut attonitus oberraret, quaerens aliquem qui ipsum porrecta manu duceret. Haec acta sunt, teste12 et spectante proconsule. Qui quum admiraretur prae-

Tom. III.

I



sentaneam virtutem doctrinae coelestis, cuius vis tam
facile protrivisset fumos magicos, credidit, et Christi
nomen professus est, proque falso propheta Bariesu-
13 amplexus est veros Iesu discipulos. Haec acta sunt Pa-
phi, a qua civitate quum navigationem instituisset Pau-
lus cum suis comitibus in Asiam minorem, venerunt
Pergen. Ea civitas est Pamphyliae. Ioannes autem,
cui cognomen Marcus, digressus ab illis, reversus est
Hierosolymam, unde Barnabas et Paulus illum abdu-
14xerant. Illi nihilo secius, quum lustrassent Pamphi-
liam, pervenerunt Antiochiam Pisidiae civitatem. Il-
lic ingressi synagogam, quo Judaei solent ex more
convenire, confedere cum caeteris, audituri lectionem
15 legis ac prophetarum. Ea quum esset recitata, neque
quisquam assurget, primores synagogae, videntes ex
ipso cultu iudaicae gentis esse hospites, qui advenerant,
et ipsa specie probitatem p[re]se ferentes, per viato-
res denuntiaverunt, quandoquidem essent iudaicae gen-
tis, si quid haberet quisquam illorum, quod docendi
exhortandive causa vellet loqui populo, loqueretur.
16 Ibi Paulus coelestis orator, dicturus assurrexit, manu-
que mota silentium indicens multitudini, sic exorsus
est dicere: Viri Israëlitae, quiue iuxta progenitorum
exemplum timetis Deum, audite me Dei voluntatem
vobis explicantem, et huius lectionis, quae singulis
sabbatis in synagoga repetitur, mysterium enarran-
17 tem. Deus gentis Israëliticae protector patres nostros,
et hunc populum sibi p[re]caeteris de legit, adeo ut
quum in Aegypto duram servirent servitutem, agente
Pharaone ne crescerent, et qui superercent laboribus
opprimerentur, prodigiosis miraculis exaltarit illos ad-
versus opprimentem tyrannum, eosque a servitute edu-
xerit, non dolis aut praefidiis humanis, sed brachio
suo sublimi, ut omnes intelligerent, eam gentem esse
18 sacram Deo. Quumque eduxisset eos, magna lenitate
pertulit mores illorum in deserto, annis ferme qua-



draginta, subinde rebellantium et obmurmurantium Mosi. Nec tamen extremam ultionem exercuit in eos, ut posteris illorum praestaret aliquando, quod patriarchis erat pollicitus. Post annos quadraginta¹⁹ deduxit eos in terram promissam, ac deletis septem gentibus in terra Chanaan, forte distribuit illis terram Chananaeorum, idque post annos ferme quadringentos et quinquaginta. Et hoc erat argumentum animi vehementer erga nostram gentem propensi. Itaque par-²⁰ta rerum tranquillitate, dedit illis iudices, quorum moderatione tranquille viverent usque ad Samuelem prophetam, qui fuit iudicium ultimus. Sub hoc po-²¹stulaverunt a Deo regem, dissuadente Samuele, quumque persisterent efflagitare, dedit illis Saulem filium Cis, e tribu Beniamin, quem ob superbiam et inobedientiam repudiavit dominus. Itaque sub Samuele iudice integerrimo, et sub impio Saule egerunt annis quadraginta. Nec hic alienatus est animus clementis-²²fimi Dei a gente sua, quam semel delegerat, sed pro malo rege, quem flagitationibus impiis extorserant, excitavit illis regem David, cuius pietati Deus ipse testimonium perhibuit, dicens: *Inveni David filium Iesse, virum ex animi mei sententia, qui meae voluntati parebit in omnibus.* Quemadmodum enim Deus iratus, pro gravissima vindicta dat populo stultum et impium principem, ita propitius ac reconciliatus, pro submoto malo rege, dat pium Deoque morigerum. Huic Deus promiserat nepotem, qui capesseret regnum²³ Israël, cuius regni non esset finis. Nunc quod prophetarum oraculis saepe diuque promissum est, exhibutum est. Ex David enim stirpe, quemadmodum illi pollicitus erat, produxit servatorem Israeliticae gentis Iesum, nomine respondentis rei. Hic servator quem-²⁴admodum promissus erat a prophetis, quemadmodum designatus est typis ac figuris legis, ita priusquam appetiret sese mundo, praedicatus ac demonstratus est a

Ioanne baptista, qui et ipse, iuxta vaticinium Esiae,
praecessit adventum eius, invitans totum populum Israë-
liticum ad baptismum ac poenitentiam prioris vitae,
25 palam clamans, iam instare regnum Dei. Caeterum
ubi Ioannes implexus est proponendum cursum suum, in
hoc tantum missus a Deo, ut praevius esset adventuro
servatori, et in huius adventum animos hominum praepararet, atque ob insignem vitae sanctimoniam a multis
crederetur esse Christus, palam hunc titulum ab se
depulit, et illi, cui debebatur, transcripsit, dicens:
Quid me putatis esse Christum? Nihil aliud quam nuntius illius sum. Et tamen is, quem vos per errorem
me esse creditis, haud procul abest. Nam is mihi
succedit, tempore posterior, sed potentia dignitate
que tanto maior, ut ego sum indignus, qui vel soleas
solvam a pedibus illius, quod inter homines infimi
ministerii creditur esse. Quod enim in illo infimum
est, hoc sublimius est eo, quod in me maximum est.
Non igitur rem subitam vobis annuntiamus, sed serva-
torem tot iam seculis promissum generis nostri princi-
pibus, tot aetatibus a maioribus atque etiam a vobis
exspectatum, a Ioanne, cuius summa fuit apud Judaeos
26 auctoritas, agnatum ac testimonio publico Judaeis
omnibus commendatum. Proinde viri fratres, qui
legem amplectimini, qui prophetas veneramini, qui-
que genus ducitis ex Abraham, cui Deus promisit se-
men, per quod benedictionem consequerentur omnes
gentes, si vere estis filii Abrahæ, si vere timetis De-
um, Abrahæ patris vestri pietatem in hoc referentes,
agnoscite salutiferum hunc sermonem, quem vobis ad-
ferimus, et amplectamini iam exhibitum, quod patri-
archæ sibi gaudebant esse promissum. Haec salus per
Iesum defertur omnibus, sed vobis omnium primis of-
27 fertur, ad quos proditae sunt prophetiae, et ex quo-
rum genere prodiit Christus. Ne vos moveat exem-
plum Hierosolymitarum, ac principum eius urbis, qui



non agnoscentes Messiam a Deo missum, nec intelligentes voces prophetarum, quae tamen apud illos per omne sabbatum leguntur, condemnato Iesu, per imprudentiam impleverunt, quod erat a prophetis praedictum. Sic enim definitum erat divino consilio, sic omnium prophetarum vocibus praedictum erat, ut unus immunis ab omni labe peccati, velut agnus immaculatus, pro peccatis omnium immolaretur. Ita-28
que quum sacerdotes, pharisaei, scribae, populique primores una cum ipso populo, tentatis omnibus nullam in eo causam invenirent, cur occidi deberet, tamen improbis clamoribus flagitarunt a Pilato, ut occideret eum. Quumque imprudentes consummascent omnia,²⁹
quae de illo praedicta fuerant a prophetis, depositum de cruce, posuerunt in monumento. Porro quem vo-30
lente Deo hominum malitia neci dedit, hunc eiusdem Dei potentia, iuxta prophetarum oracula, suscitavit a mortuis tertio die. Ac ne putetis esse somnum,³¹
quod narro, visus est, auditus est, contrectatus est, agnitus est corpore redivivo, per dies quadraginta discipulis suis, qui ipsum proficiscentem Hierosolymam, ut moreretur, comitati fuerant a Galilaea, qui fere omnes adhuc superstites sunt, ferentes apud populum fidele testimonium de his, quae viderunt oculis, quae audierunt auribus, quae contrectaverunt manibus. Nos quoque fungentes ex ipsius iussu servatoris aposto-32
lico munere, testificamur, quod promissionem, quam olim Deus fecit Abraham ac David patribus vestris, quamque per prophetas suos edidit maioribus vestris, nunc implevit vobis ac filiis vestris, excitato Iesu a mortuis. Hic est enim ille filius Dei, natus ex virgi-33
ne Maria iuxta corpus humanum, de quo pater ipse testificatur in primo psalmo mystico, dicens: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quod autem suscita-34
vit eum a mortuis, posthac non redditurum ad corruptionem, sed immortalem futurum, ita promisit olim



per Esaiam prophetam; *Dabo vobis sancta David fidelia.* Non fuisset autem servata pacto fides, si Iesum non revocasset ad immortalitatem. Sic enim promiserat David: *Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar, semen eius in sempiternum manebit, et thronus illius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in celo fidelis.* Videtis autem, iam neminem e stirpe David progenitum teneare solium eius, sed Christum designabat haec prophethia, qui dexter assidet patri, fortitus regnum, cuius
35 non erit finis. Atque hac ipsa de re loquitur et psalmus decimus quintus: *Non permittes, ut sanctus tuus videat corruptionem.* Nec enim haec prophetia potest intelligi de rege David, quem constat expletis vitae suae annis, regnoque simul ac vita pro portione temporis a Deo praescripti transacta, volente Deo mortuum, et additum numero maiorum, qui omnes similiter mortui sunt. Quod si corruptionem videt qui moritur, sepulchrum eius, quod in hodiernum diem apud nos exstat, continens illius ossa, clamitat eum
37 esse passum corruptionem. Non igitur in hunc competit vaticinium, sed in eum quem vobis praedicamus, quem Deus, priusquam corpus sentiret putrefactionem, excitatum a mortuis, donavit immortalitate.
38 Notum fit itaque vobis, fratres, quod per hunc Iesum offertur vobis remissio peccatorum et ab omnibus malis libertas, a quibus hactenus non potuistis per observationem legis purificari. Lex enim imperfecta erat iuxta carnem, nec poterat abolere omnia crimina, sed quaedam puniebat, nec omnibus gentibus subveniebat,
39 Per hunc autem Iesum citra discriminem personarum aut criminum, offertur omnibus iustitia et innocentia, si
40 modo credant evangelii promissis. Cavete igitur, ne in vos incidat quod per Abacuc prophetam incredulis ac rebellibus evangelico sermoni comminatur Deus:
41 *Videte contemtores, et obstupescite, ac disperite, quo-*



niam opus ego operor in diebus vestris, opus quod non creditis, si quis enarraverit vobis. Quis hactenus credidit hominem nasciturum ex virgine? Quis credidisset per mortem unius cunctis gentibus parandam immortalitatem? Quis credidisset occisum ac sepultum, intra triduum revicturum ad immortalitatem? Hoc opus incredibile Deus quemadmodum promisebat, operatus est his vestris temporibus. Nolite esse contemtores, nolite disperdi per obstinatam incredulitatem, sed credentes amplectamini vobis gratis oblatam salutem. Ubi peroratum est a Paulo, iamque⁴² coepissent abire, qui audierant, rogabant Paulum ac Barnabam, ut proximo sabbato iisdem de rebus verba facerent apud synagogam. Iamque dimisso coetu, multi⁴³ partim Judaei nati, partim proselyti religionis studiosi, sequuti sunt Paulum et Barnabam, cupientes proprius ac familiarius edoceri per apostolos. Atque illi colloquentes cum illis privatim, hortati sunt eos, ut in eo, quod amplecti coepissent, Dei gratuito dono perseverarent, et in bene coeptis usque proficerent. Interim huius rei fama latius pervagata est, aliis apud alios, ut fit, quod audierat referentibus. Proximo⁴⁴ vero sabbato iam non Judaei tantum et proselyti, sed tota civitas convenit in synagogam, ut audiret sermonem evangelicum. Caeterum Judaei plerique, qui si⁴⁵ bi persuaferant, hanc evangelii gratiam non esse promissam nisi solis his, qui iuxta carnem essent filii Abrahae, ut viderunt confluxisse promiscuam multitudinem Judaeorum, proselytorum ac gentium, stimulante animum livore, vehementer indignati sunt, contradicentes his, quae dicebantur a Paulo, nec a blasphemis interim verbis temperantes. Horum obstinatam⁴⁶ malitiam ubi perspexissent Paulus ac Barnabas, memores quod dominus mandasset apostolis, ut sicubi reperissent, qui reiicerent oblatam evangelii gratiam, exirent eam civitatem, etiam pulvere pedum in con-



tumaces excuslo, libere dixerunt: Functi sumus officio nostro. Nam iuxta praeceptum domini Iesu vobis omnium primis annuntiandus erat sermo evangelicus. Hoc honoris habitum est vobis a Christo. Cæterum quoniam ipsi tantam gratiam ultro gratisque delatam reiicisis, et indigno vos iudicatis aeterna vita,
47 ecce convertimur ad gentes. Nec id facimus auctoritate privata. Sic suis praecepit dominus Iesus, ut evangelio praedicato per Judæam, deinceps praedicaretur omnibus gentibus usque ad terminos orbis terrarum. Praedictum est et hoc olim per Esiam prophetam, fore ut Iesus non tantum adferret salutem genti Judæorum, sed universis mundi nationibus. Sic enim in prophetia pater loquitur filio: *Posui te in lucem gentium, ut sis salus usque ad extremum terræ.*
48 His auditis gavisæ sunt gentes, non quod gauderent de Judæorum interitu, sed quod misericordiae divinae gratias agerent, qui Judæorum incredulitatem verteret in ipsorum salutem. Judæi blasphemii incessebant doctrinam salutiferam, gentes subito mutatae promptissimis animis amplectebantur, et glorificabant sermonem domini. Cui crediderunt ex gentibus, non quidem omnes, sed quotquot divina misericordia destinarat ad vitam aeternam, ad quam nemo pertingit, nisi a Deo vocatus et electus. Divulgabatur autem sermo dominicus per universam illam regionem.
49 Porro Judæi gentibus invidentes, concitaverunt mulieres religiosas, nam his faciliter imponitur, simulata specie pietatis et honestas, quo maior esset auctoritas, tum viros primarios eius civitatis, ac per hos commoverunt persequitionem in Paulum et Barnabam, et expulerunt illos e finibus suis. Hic obiter animadverte, lector, iudaicam artem excitandæ feditionis in eos, qui sinceriter prædicant Iesum. Livor primum incitat fidei religiosos, mox dolor erumpit in convitia. Deinde per matronas graves ac religioni deditas susci-



tatur seditio, per matronas excitantur primores. Sic eiiciuntur apostoli. Paulus autem et Barnabas *excus-51*
so pulvere pedum in illos, profecti sunt Iconium, Ly-
caoniae civitatem. Discipuli quoque laeti de successu 52
evangelii, replebantur gaudio et spiritu sancto.

CAPUT XIV.

Porro quum pervenissent Iconium, ex more simul **1**
 ingressi sunt synagogam Iudeorum, atque ibi quoque,
 quemadmodum fecerant Antiochiae, praedicabant
 evangelium Iesu Christi, sic ut copiosa multitudo cre-
 deret, tum Iudeorum, tum Graecorum. Et hic rur-
 sus iudaicus livor seditionis existit auctor. Etenim **2**
 Iudei, qui noluerant obtemperare sermoni evangeli-
 co, non sat habebant, si ipsi perirent, verum ut plu-
 rimos secum pertraherent in exitium, concitaverunt et
 corruperunt animos gentium adversus eos, qui credi-
 derant. Sed evangelii negotium, et per aduersa, et **3**
 per prospera crescebat et invalescebat. In hac igitur
 lucta Paulus et Barnabas diu commorati sunt Iconii,
 fortiter rem gerentes praesidio domini, qui gratuito
 beneficio, quod per evangelium omnibus offerebatur,
 testimonium perhibebat maius humano testimonio.
 Dabat enim hoc obscuris et infirmis evangelii praeco-
 nibus, ut per manus illorum ederentur signa et pro-
 digia, quae declararent rem ex divina voluntate geri.
 Itaque Iudeorum opera civitas Iconii secta est in duas **4**
 partes, quarum altera stabat a Iudeis incredulis, al-
 tera favebat apostolis. Tandem quum ii, qui erant ex **5**
 gentibus, iuncti Iudeis ac primoribus civitatis, impe-
 tum facerent in apostolos, ut vim illis adferrent, ac
 lapidarent eos, illi re cognita, profugerunt Lystram
 civitatem Lycaoniae, quae Pamphyliae pars est, et
 Derben. Peragrantes interim finitimam undique re- **6**

I 5



gionem, ubique seminantes sermonem evangelicum,
ut hac fuga non tam consultum sit incolumenti aposto-
lorum, quam evangelio propagando. Lystris autem
7 erat vir quidam debilis pedibus, adeo ut perpetuo se-
deret impotens ambulandi, claudus ab utero matris,
ita ut per omnem vitam nunquam ingredi pedibus va-
8 luerit. Hic admixtus multitudini, audiebat Paulum
9 de Christo loquentem. Paulus autem intuitus homi-
nem, et ex ipso vultu perspiciens ardorem et votum
illius, qui consideret se per nomen Iesu praedicati,
membrorum integritatem assequi posse, dixit clara vo-
ce: *Erige te in pedes, simulque cum dicto exsiliit clau-
10 dus et ambulabat.* Porro multitudo quam vidissent
rem tam prodigiosam, nam claudus erat omnibus no-
tus, et simplici verbo subito restitutus est homo, sub-
latis in altum vocibus, Lycaonice dicebant; *Dii sum-
ta hominum specie descenderunt ad nos.* Ea persua-
sio magis insederat animis Lycaonum, ob fabulam de
Iove et Mercurio, quem homines esse viderentur, a
Lycaone exceptis hospitio, unde nomen sortiti viden-
tur Lycaones. Barnabam itaque, qui singularem quam-
dam auctoritatem pre se ferebat, appellabant Iovem,
Paulum vero Mercurium, quod is esset dux sermonis,
propterea quod gentes crederent, Mercurium esse deo-
11 rum nuntium, et eloquentiae praefidem. *Quin et sa-
cerdos Iovis, qui habitabat in suburbio civitatis Ly-
strensis, tauros et coronas adferebat ad fores aedium,*
in quibus erant apostoli, *ut illis sacrificaret.* Nam
tauorum caede credebant potissimum delectari Io-
vem. Coronis autem sacris solent ornari tum sacrifi-
ci, tum victimae. Comitabatur autem promiscua ho-
12 minum multitudo. Ita Paulus et Barnabas, ubi rei
causam sciscitati didicissent, quod ipsis pro diis habi-
tis divini honores pararentur, non tulerunt tantam
impietatem, ut honor Deo debitus transferretur ad ho-
mines, sed consciisis ex Judaeorum more tunicis, pro-



siluerunt ad multitudinem, clamantes ac dicentes: *Vi-14*
ri, cur ista facitis? Nos non sumus dii, sed homines
vobis similes mortales, iisdem miseriis quibus vos
obnoxii, adeo non expertentes a vobis hunc honorem,
ut potius in hoc venerimus ad vos, quo nobis auctori-
bus ab ipsis falsis diis, quos profanis sacris hactenus co-
litis, qui vel homines sunt vita defuncti, vel statuae
inanis, vel daemones noxii, convertamini ad Deum
verum ac vivum, qui condidit coelum ac terram et
mare, et quidquid coelo terra marique continetur.
Non est enim nisi unus Deus, omnium conditor et
gubernator. Is nunc postulat cognosci colique ab uni-*15*
versis orbis nationibus, ut omnes per illum salutem
aeternam consequantur. Nam superioribus seculis,
velut dissimulans, passus est omnes gentes suo quam-
que more vivere, ut posteaquam cognitum esset homi-
nes, suis iporum praesidiis non posse salvos fieri,
omnes per fiduciam in Deum, ac per evangelium filii
ipsius servarentur. Quamquam autem plerique morta-*16*
les essent a vero Deo per errorem alieni, varia rerum
simulachra pro Deo, aut res conditas pro conditore
colentes, tamen non statim exercuit in illos iustum ul-
tionem, nec destitit illos perpetua sua beneficentia ad
sui cognitionem et amorem provocare. Nam qui mun-
dum condidit in usum hominum, idem e coelo demis-
sa pluvia foecundat terram facitque ut annuus pro-
ventus uberem copiam omnium rerum ad vitam ho-
minum facientium profundat, ut affatim ciborum va-
rio nos genere reficiat, et vini liquore exhilaret corda
nostra. Nec enim haec beneficia debetis diis vestris,
quos hactenus colitis, Iovi, Cereri, aut Libero, sed
Deo illi, quem vobis praedicamus. *Haec quum loque-17*
rentur apud populum apostoli, vix compescuerunt
multitudinem, ne ipsis immolarent victimas. Dum *18*
haec aguntur Lystris, superveniunt quidam ab Antio-
chia Pisidia et Iconio, Judaei genere, sed evange-



lio rebelles, qui quum multitudinem in suam pertransiſſent ſententiam, ut in apostolos fieret impetus, id quod Iconii tentaverant, lapidatum Paulum extraxerunt e civitate, credentes eum eſſe mortuum. Hae videlicet ſunt rerum humanarum vices. Paulo ante pro diis habitis parabantur hostiae, nunc lapidatus abiicitur Paulus. Ob id autem huic erant infenſiores, quod
19 eloquentia ſua plurimos alliceret ad Christum. Abieciūt ac pro mortuo relictum, circumdecederunt discipuli, curaturi funus. Paulus autem reverſus ad ſe surrexit, et clam ingressus eſt civitatem, ac poſtridie profectus eſt una cum Barnaba in Derben, quo primum
20 ire decreverant. Quumque in hac civitate praedicasſent evangeliū, multaque docuiffent, veluti iacto ſe-
21 mine sermonis evangelici, reverſi ſunt Lyſtram, Ico-
niūm et Antiochiam, conſirmantes animos diſcipulo-
rum, quos ad Christum converterant, et exhortantes
eos, ut perseverarent in fide, nec ullis terroribus ab-
ducerentur a fiducia, quam ſemel collocaſſent in do-
mino Iesu, nec offendereſſent, quod audiffent Paulum
Lyſtris eſſe lapidatum, quoniam hanc viam ſuis oſten-
diſſet Christus, ut per multas afflictiones intrarent
regnum coelorum. Adeo magis ſollicitus erat Paulus,
ne per occaſionem malorum, quae ipſe patiebatur ab
impiis, imbecilles alienarentur a Christo, quam do-
leret ſua cauſa; exemplum interim exhibens episcopis,
ut gnavos agricultorū imitando, non ſat habeant plan-
taſſe aut ſeminaffe, ſed advigilent etiam, ut quod pro-
22 venire coepit, feliciter adolescat. Quoniam autem
evangelii profectus id poſtulabat, ut apostoli per va-
rias regiones vagarentur, delectos populi suffragiis per
ſingulas civitates presbyteros praefecerunt illis, ut ab-
ſentium apostolorum vices gererent, factaque commu-
ni deprecatione cum iejunio commendaverunt illos do-
mino, ut in illo proficerent, quem ſemel eſſent pro-
feſſi. Haec acta ſunt Antiochiae, quae eſt in Pifidia,



Ea regione peragrata, simili modo peragrarunt, et²⁴ Pamphyliam, ubique seminantes evangelium, ubi se- minatum non fuerat, et confirmantes eos, qui semel crediderant, donec redirent Pergam, et hic rebus or- dinatis, pervenerunt Attaliam. Ea civitas est Pam-²⁵ phyiae littoralis. Hinc solverunt rursus Antiochiam Syriae, unde primum solverant delegato a senioribus munere praedicandi evangelii inter gentes, ac per im- positionem manuum, precationem et ieunium com- mendati fuerant gratiae Dei, ut illius praefidio felici- ter cederet, quod auspicabantur. Huc igitur quum sese²⁶ receperissent, velut rationem eorum quae gesserant redi- turi, convocata congregatio credentium, retule-²⁷ runt omnia, quae Deus cum ipsis egisset, ostendentes quod Dei favor adfuisset ipsorum conatibus, qui gen- tibus aperuisset ostium fidei, per quam absque legis onere salutem affequantur.

CAPUT XV.

Commorati sunt autem Paulus et Barnabas multo tempore cum discipulis Antiochiae, quod in urbe ce- leberrima esset numerosa congregatio credentium, ex variis hominum generibus conflata, quae indies red- debatur numerosior. Illic autem apostoli gaudebant commorari diutius, ubi fructus erat copiosior, quo- niam Hierosolymitae caeterique, qui eam Syriae par- tem incolunt, quae proprie Judaea dicitur, tenacio- res erant legis mosaicae, quam caeteri, quod longius abesiunt a commercio gentium, quodque templo vici- niores, minus ferebant gentes ad evangelii consortium recipi sine legis observatione, quam non intelligebant prorita luce veritatis abrogandam, quod ad umbras, figuras et ceremonias attinebat. Huius generis erant circumcisio, sabbatorum otia, delectus ciborum, festi



dies, vestium discrimina, vota, ieunia, fuga morticinorum, quae omnia crasso populo erant ad tempus indicta, ut assuescerent obedire Deo, donec per evangelium prodita veritatis clarissima luce, rerum umbrae cederent. Proinde qui non intelligebant legem esse spiritualem, contendebant id quod erat a Deo praescriptum, a patribus traditum, a maioribus tot seculis observatum, perpetuum esse debere. Haec persuasio non tam nascebat ex malitia, quam ex superstitione legis, quam dum valde student servare, subvertunt. Nam hic zelus primum instigarat et Paulum adversus christianos. Itaque quum rumor eorum quae gerabantur Antiochiae, ubi ex publico consensu Paulus et Barnabas profecti in Cyprum, et inde in Pamphiliam, palam sine delectu praedicassent evangelium, et Judaeis, et proselytis, et gentibus nullam exigentes legis observationem, permanasset Hierosolymam usque, quidam e Iudea venerunt Antiochiam, novam invehentes doctrinam, a Pauli Barnabaeque doctrina diversam. Dicebant enim his, qui ex gentibus crediderant: *Nisi circumcidamini iuxta ritum a Moysi praescriptum, non potestis salvi fieri.* Hoc erat initium pugnae, legis carnem mordicus tenentium, adversus eos, qui sinceram ac spiritualem evangelii libertatem sequebantur, quae contentio numquam non est inter christianos futura. Et ideo Deus hanc exoriri passus est, quo magis intelligerent omnes Christi discipuli,
2 quam exitialis res fit, ceremoniis nixa religio. Horum doctrinae in speciem religiosae, re ipsa perniciissimae, quum Paulus et Barnabas, velut evangelicae libertatis strenui propugnatores, fortiter resisterent, orta est vehemens seditio, dum apostoli sinceritatem evangelicae doctrinae, quae spiritualis est, testimonii prophetarum fortiter tacentur adversum superstitiones legis assertores, dumque hi contra studio legis a maioribus traditae, conantur gentes sub idem iugum tra-



here, nescientes interim, quanta contumelia Christum afficerent, cuius gratiam crederent praefidio legis egerent. Etenim qui legis erat auctor, idem poterat abrogare legem. Tametsi non abrogat, qui perficit. Hoc bellum multo perniciosius erat evangelio, quam Herodis, aut aliorum principum saevitia, propterea quod veram pietatem, falsa pietatis imagine oppugnabat. Itaque ne discordiae malum glisceret, convocato discipulorum concilio, visum est, ut Paulus et Barnabas, aliquique ex hoc numero nonnulli proficiscerentur Hierosolymam ad Petrum, aliosque apostolos ac presbyteros, qui tum veluti metropolim ecclesiarum Hierosolymae moderabantur, ut illorum auctoritate quaestio nata dissolveretur. Nam adhuc auctoritas praecipua manebat in eo loco, unde primum prodierat evangelica doctrina, ac penes eos, qui ex delegatione Iesu Christi, praedicationem primi fuerant auspicati. Paulus itaque et Barnabas profecti sunt, honoris gratia deducente illos discipulorum multitudine. Quumque facerent iter per Phoenicen ac Samariam, narrabant ubique, quomodo gentes sese convertissent ad Deum, adeo non diffidebant factis suis apostoli, ut ultro passim commemorarent. Nec hoc animo proficiscebantur Hierosolymam, ut ex apostolis discerent, recte ne fecissent haec tenus, an secus, sed ut maiorum auctoritate tumultus infirmorum compeiceretur. Quotquot autem in his regionibus crediderant evangelio, magno afficiebantur gaudio, tantum aberat ut Judaeorum exemplo moverent seditionem. Porro ubi perventum esset Hierosolymam, Paulus et Barnabas, una cum suis comitibus humaniter excepti sunt a congregacione, quae erat Hierosolymis, similiter et ab apostolis ac senioribus, quibus congregatis exponebant omnia, quae Deus gesserat per ipsos inter gentes. Ea res quum pleiaeque multitudini probaretur, exorti sunt quidam effecta pharisaica, qui crediderant evangelio; sed sic,

3

4

5



ut arbitrarentur evangelii gratiam absque legis admini-
culo non conferre salutem. Proinde neminem gen-
tium ad evangelii consortium admittendum, nisi prius
imposito legis mosaicae iugo, a quo gentes vehemen-
ter abhorrebant. Caeterum pharisaei prae caeteris vi-
deri studebant legis tenaciores. Hi veluti legis docto-
res asleverabant, eos qui ex gentibus erant recepti,
circumcidendos esse, atque iisdem praecipiendum ut
servarent legem Mofi, non intelligentes legem a nul-
lis aeque violari, atque ab his, qui studio carnis negli-
6 gunt spiritum legis. Hic rursus orto tumultu; quam
seditiosa res est supersticio, convenerunt apostoli simul
cum senioribus, consulturi quid hac in re statuendum
esset. Quum enim essent avidissimi lucri dominici,
metuebant ne plerique ex gentibus odio legis aliena-
rentur a Christo. Rursus non arbitrabantur probabi-
lem causam esse dandam Judaeis, qui legis veneratio-
nem a maioribus traditam, altius imbibebant, quam ut
subito posset revelli, ut ab evangelio desicerent,
7 quasi pugnante cum lege sancta. Quumque hinc atque
hinc prolatis testimoniis et argumentis, incanduisset
disceptatio, Petrus assurgens, hunc in modum lo-
quutus est: Viri fratres, quid vos disceptatis veluti de
re dubia, quasi penderet ab hominum arbitrio probare
vel improbare, quod iam Deus ipse probavit. Vos
ipsi scitis, quod ante annos aliquot hoc idem mihi ac-
cedit in Iudaea, quod nunc in gentium regione factum
calumniamini. Quum enim ob Cornelium cum sua
familia baptizatum, simile murmur esset natum inter
vos, exposui vobis rem omnem, quomodo non auto-
ritate privata, sed iussu Dei adierim Caesaream, ut
gentibus etiam praedicarem evangelium Dei, cui cre-
8 dentes salutem assequerentur. Quum autem essent in-
circumcisi, qui tum audiebant sermonem evangelicum,
et ab observatione mosaicae legis alieni, tamen Deus,
qui non aestimat hominem ex habitu corporis, sed ex
affectu



affectu cordis, quod ille solus novit, manifesto testi-
monio declaravit sibi probari fidem illorum, inter au-
diendum effuso in illos spiritu sancto, sic ut linguis lo-
querentur, quemadmodum et nos, etiam antequam a
nobis baptizarentur; nihil discriminis faciens, quod ad
evangelii gratiam attinet, inter illos incircumcisos, et
nos Judaeos. Nam fide purificavit illorum corda, pa- 9
lam declarans nobis hanc gratiam non esse collatam
praefidio legis, sed commendatione fidei. Nec enim
Deus infundit spiritum suum impuris. At illi nihil ha-
bebant praeter simplicem credulitatem, quum in illos
veniret spiritus sanctus. Nunc igitur quum Deus palam 10
declararit voluntatem suam, ut gentes absque legis
onere per solam fidem reciperentur ad evangelii con-
sortium, cur vos Deum tentantes provocatis illum,
dum praeter illius voluntatem conamini, tam grave legis
iugum imponere cervicibus discipulorum, qui hac-
enus legi non assueverunt, quod neque patres nostri,
neque nos sub lege nati portare valuimus? Quis enim
nostrum legem servavit ad unguem? Non igitur est 11
quod ex observatione legis speremus salutem, sed con-
fidimus nos fore salvos per gratiam domini nostri Iesu
Christi, hac in parte nihilo potiores gentibus, quibus
idem donum voluit impartiri gratis, quod nobis item
gratis impartiit. Hac oratione Petri coercita est tu- 12
multuosa disceptatio, inter pharisaeos et diversa sen-
tientes. Itaque multitudo quieta post audivit Barna-
bam et Paulum exponentes, quot miraculis ac prodi-
giis per ipsos inter gentes editis, Deus testificatus es-
set sibi placere, ut gentes ad evangelii consortium abs-
que legis onere reciperentur, quemadmodum et ante
Petro in Cornelii domo praedicante Christum, misso
spiritu sancto declararat animum suum. Hi quum fi-
nem dicendi fecissent, Iacobus cognomento Iustus, et 13
frater domini dictus, in quem apostoli tum praecipuam
auctoritatem transtulerant, assurgens illorum oratio-

Tom. III.

K

nem approbavit, hunc in morem verba faciens: Viri
fratres, quoniam caeteris qui dixerant praebuisti si-
lentium, praebete et mihi dicturo quod factu videtur
14 optimum. Simon Petrus narravit modo, quod nos
omnes scimus esse verissimum, quemadmodum per
ipsum primum Deus misertus humani generis, respexe-
rit calamitatem gentium idolorum cultui ditarum,
ut ex his quoque, qui videbantur non esse populus, su-
meret sibi populum acceptum, una nobiscum invoca-
cantem nomen ipsius. Quod per Petrum coepit De-
15 us, id per Paulum et Barnabam latius provexit. Quod
autem ab his factum audimus, id olim futurum praedi-
ctum est vaticiniis prophetarum, quorum Amos ita
16 loquitur sub persona Dei: *Post haec revertar, et in-*
17 *stauro tabernaculum David, quod collapsum est, ac*
ruinas eius aedificabo denuo, et erigam illud, ut re-
quirant qui reliqui sunt homines dominum, omnesque
gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit
18 *dominus faciens haec.* Quidquid Deus pollicetur se
facturum, hoc absque dubio facit. Antequam enim
mundus esset conditus, illi definitum erat quid quo
tempore facturus esset. Non potest autem non esse
19 optimum, quidquid ille statuerit. Quoniam autem
videmus hoc nunc fieri, quod ille promisit, ego cen-
seo non esse repugnandum voluntati divinae, nec ob-
strependum esse his, qui ex gentibus convertuntur ad
cultum veri Dei, nec eis imponendum onus legis,
quum evangelica fides omnibus sufficiat ad salutem.
20 Tantum admoneantur, ut ob imbecilles, quibus non-
dum persuaderi potest, idolum nihil esse, et idolis
immolatam carnem, nihil differre à carne qualibet,
quae venditur in macello, & ob quosdam, qui scorta-
tionem ideo non credunt esse peccatum, quod vulgo
fiat, nec legibus humanis puniatur, abstineant ab in-
quinamentis simulachrorum, nec immolantes, nec ve-
scentes ex his, quae sunt immolata, abstineant à scorta-



tione. Rursus ob Judaeos quosdam superstitiones, quibus nondum persuaderi potest, omnia mundis esse munda, abstineant ab animante suffocato et sanguine, non quod hae res faciant ad salutem animae, sed quod caritas hortetur, ut ad tempus mos geratur imbecillitati fratum quorumdam, donec proficiant ad perfectiora, itaque mutuis obsequiis alatis invicem fraternalm concordiam. Nec est metuendum Judaeis, ne²¹ Moses antiquetur. *Habet enim ille iam olim a priscis seculis, qui praedicent ipsum in synagogis, ubi singulo quoque sabbato legitur ex more.* In hanc sententiam quum ab omnibus itum esset pedibus, visum est apostolis ac senioribus, simulque toti congregacioni, ut ex eo numero deligerentur aliquot, qui Paulum et Barnabam Antiochiam comitarentur. Delecti sunt autem duo spectatae probitatis; Judas, cui ob morum sanctimoniam, cognomenum additum est Justi, et Silas, anibo primariam integritatis laudem obtinentes inter fratres. His tradiderunt cum mandatis epistolam in hanc sententiam: *Apostoli et seniores ac fratres ex²³ Judaeis ad Christum conversi, his qui sunt in Antiochia, et in Syria ac Cilicia ex gentibus ad Christum conversi, salutem.* Quoniam accepimus, quod qui²⁴ dam hinc profecti Judaei, velut à nobis missi perturbaverint vestram tranquillitatem, qua fruebamini in consensu evangelii, nova doctrina labefacientes animos vestros, iubentes vos circumcidere ac servare legem, quum illis nihil tale mandaverimus: visum est nobis ex²⁵ sententia coetus convocatis in unum, delectos ex nobis viros mittere ad vos, una cum Paulo et Barnaba, iure nobis carissimis, utpote qui vitam suam periculis exposuerunt pro nomine domini nostri Iesu Christi. Misimus itaque Judam ac Silam probatissimae fidei²⁶ viros, ex quorum fideli relatione poteritis eadem co²⁷ gnoscere quae scribimus. Horum summa haec est: *Vi²⁸ sum est enim spiritui sancto et huius instinctu nobis*



consentientibus, ne quid oneris vobis addatur, p^{rae}-
29ter haec quae visa sunt necessaria. Primum vi-
delicet, ut abstineatis ab his, quae sunt simulachris im-
molata, ne vescentes videamini superstitioni, quam semel
abnegastis, consentire, deinde ut temperetis a sangu-
ine animantis, et a pecude suffocata, quibus lex vesci
prohibet, postremo ut abstineatis a scortatione, quam
gentes sibi putant esse licitam. *Ab his si temperaveri-*
30*tis, bene facietis. Valete.* His ita peractis, dimissi
sunt cum literis ac mandatis. *Qui quum pervenissent*
Antiochiam, congregata multitudine reddiderunt epi-
31*stolam.* Quae quum esset apud omnes recitata, gavi-
si sunt tanta consolatione, quod ad ipsorum animos
apostolorum, seniorum, ac multitudinis Hierosoly-
32 mitarum auctoritas accessisset. Judas autem et Silas,
quum essent et ipsi prophetae periti sacrarum litera-
rum, quod deerat epistolae, iuxta mandatum aposto-
lorum suppleverunt. Copiosoque sermone exhortati (*)
sunt fratres, et confirmarunt animos illorum, ut in
33bene coeptis persisterent. Hic igitur aliquamdiu com-
morati, dimissi sunt a fratribus cum pace, data illis
34facultate redeundi ad eos, a quibus fuerant missi. Quo-
niam autem Silae visum est ibi remanere, Judas solus
35reversus est Hierosolymam. Interim Paulus quoque et
Barnabas commorabantur Antiochiae, docentes pro-
miscue Judaeos et gentes, et omnibus annuntiantes sa-
lutem, quae gratis offerretur credentibus evangelio,
36hoc est sermoni Dei. Post dies autem aliquam mul-
tos subiit animum Pauli cura discipulorum, quos in
Cypro reliquerat, ac Pamphylia. Dixitque Barnabae
collegae suo: *Revisamus fratres per omnes civitates,*
in quibus praedicavimus sermonem domini, ut inspi-
37*ciamus quomodo sese habeant.* Placuit hoc consilium
Barnabae, sed eius profectionis comitem esse volebat
Joannem cognomento Marcum, quem secum prius

(*) Aliae: *adhortati.*

eduxerant eo proficiscentes. Qua quidem in re Pau-³⁸
lus ab illo dissentiebat, existimans eum tum non esse
recipiendum in eius negotii consortium, qui pridem
sua sponte defecisset ab ipsis nondum expleto negotio,
quod instituerant, et e Pamphylia renavigasset Antio-
chiam. Haec disceptatio usque adeo inter eos incaluit,³⁹
ut quem neuter alteri vellet concedere, uterque ab al-
tero seiungeretur. Non quod inter tantos apostolos
ulla intercederet amarulentia, sed uterque contende-
bat obtinere, quod arbitrabatur expedire negotio evan-
gelico. Atque interim nobis exemplum parabatur,
ne statim existimemus damnandum, quod a nostra dis-
fidet sententia. Non obest sententiae varietas, modo
concors sit animus ad provehendum evangelium. Ex
apostolorum autem dissidio Deus illud procurabat, ut
segregatis duobus ducibus, latius etiam proferretur
evangelium, quam si perseverassent in pristino colle-
gio. Itaque Barnabas, adjuncto sibi Marco, nava-
git in Cyprum, ubi natus erat. Paulus vero adscito⁴⁰
sibi Sila, qui Deo volente in hoc resederat Antiochiae,
ne Paulo deesset collega gravis, et auctoritate praedi-
tus, dimissus a fratribus, et commendatus gratiae Dei,
profectus est quocumque vocaret spes ostensa profectus
evangelici. Peragrabat autem Syriam ac Ciliciam, in⁴¹
qua natus erat et ipse, ubique confirmans coetus disci-
pulorum, quos illic paraverat, et augens quod institue-
rat; praecipiens illis, ut quod apostoli senioresque sta-
tuissent Hierosolymis, de fugienda simulachrorum
communione, de scortatione, suffocato et sanguine ser-
varent, alioqui liberi a mosaicae legis onere. His in
Cilicia paractis rursum pervenit Derben, deinde Ly-
stram.

CAPUT XVI.

ET ecce erat illic discipulus quidam ex re nomen ha-
bens, dictus Timotheus, quasi dicas, Deo pretiosus,

K 3



natus ex impari matrimonio. Nam matrem habebat viduam, quae ex Judaismo venerat ad Christum, patrem habuerat ethnicum. Huius Timothei probitas, omnium fratrum testimonio praedicabatur, qui Lystris
2 agebant, et item Iconii. Paulus itaque nihil aliud si-
3 tiens, quam per omnem occasionem indies latius pro-
fessi regnum evangelicum, undique venabatur huic
idoneos negotio, non aliter quam ambitiosi reges, in
hoc intenti, ut ditionis suae terminos proferant, nihil
magis habent curae, quam ut duces ac praefectos re-
bus gerendis aptos adiungant. Porro non satis est du-
cem evangelicum mediocribus dotibus esse praeditum,
nec satis est inculpatis esse moribus, sed oportet etiam
bonorum omnium testimonio commendatum esse, ne
rumor malus, etiam si vanus sit, officiat evangelico
negotio. Timotheum igitur et insigniter probum, et
omnium probatorum testimonio comprobatum, Pau-
lus cupiebat habere suae profectionis comitem. Atque
hunc sibi adiunctum circumcidit, non quod crederet
circumcisionem conferre salutem, quam sola fides ad-
ferebat, sed ne quid tumultus oriretur a Judaeis, quo-
rum in illis regionibus erat magna multitudo, maiuit
in Timotheo admittere iacturam pelliculae, quae nec
addita facit sanctiorem, nec detracta peiorem, quam
hic occasione Judaeos, quorum pertinaciam noverat,
alieniores reddi ab evangelio. Decretum apostolo-
rum, quod Hierosolymis praesente Paulo factum erat,
liberabat gentes ab onere legis. Totius autem legis
professio, quasque symbolum erat circumcisio. Ju-
daeи vero nondum erant palam liberati ab onere legis,
quam oportebat paulatim aboleri. Itaque quoniam
constabat omnibus Timotheum matre Judaea esse na-
tum, patre ethnicо, et ex patris auctoritate non fuisse
circumcisum, perspiciebat Paulus utcumque proba-
bili de causa tumultuatueros Judaeos, si Timotheus se-
mi iudeus natus absque circumcisione, non solum ad-

missus esset ad evangelii confortium, verum etiam ad doctoris evangelici munus adscisceretur. Hoc evangelii provehendi studio ei tempori dedit Paulus, tranquillitati consulens omnium, qui Christum pacificum fuerant amplexi. Nec hoc solum fecit, verum etiam per quascumque civitates ficeret iter, ne quid offendarentur Judaei, tradebat iis, qui ex paganismo venerant ad Christum, ut servarent ea, quae Hierosolymis erant de creta ab apostolis ac senioribus, cuius rei gratia legati fuerant Antiochiam Judas et Silas. Aderat Pauli conatibus favor divinus. Nam ecclesiae discipulorum et confirmabantur in fide evangelica, et indies auge scabant, accrescente numero credentium. Quum autem peragrassent Phrygiam, et Galatiam Asiae minoris regiones non sine magno fructu, tametsi gens esset magnopere crassa barbaraque, cuperentque proficisci in eam partem, quae proprie dicitur Asia, vetiti sunt a spiritu sancto, ibi loqui sermonem evangelicum. Atque illi paruerunt occulto Dei consilio, cui non decet hominem reluctari. Itaque mutato consilio, flexerunt iter ad Mysiam, cui proxima est Asia proprie dicta. Inde tentabant proficisci in Bithyniam, refle xentes ad septentrionem. Erat enim illa celebris Romanorum provincia, et ideo sperabant illic amplum lucrum. Sed incertum, qua de causa non passus est spiritus Jesu, cuius ductu agebantur, illuc proficisci. Itaque reflectentes ad occatum, peragrata prius Mysia, venerunt Troadem. Ea civitas est littoralis Phrygiae, eadem dicta Antigonia. Ibi Paulo per quietem ostensa est visio, quae doceret, quo deberet proficisci. Visio vero talis erat: *Adstabat illi vir quidam specie cultuque Macedonis, qui deprecabatur illum, dicens: Proficiscere in Macedoniam, ac succurre nobis.* Is 10 erat angelus illius regionis protector. Eam visionem simul atque vidit Paulus, qui iam semel atque iterum prohibitus fuerat a spiritu sancto praedicare ser-

K 4



monem evangelicum, gavisi sumus illius comites. Nam et ego, qui haec scribo, tum comes eram illius peregrinationis, statimque curavimus, ut profici ciceremur in Macedoniam, certi quod eo vocasset nos dominus, ut illis praedicaremus evangelium, ac rem Deo fortunantibus successuram. Itaque solventes Troade, praeternavigata Chersoneso, pervenimus ad insulam Samothracen Thraciae oppositam, atque hinc proximo die Neapolim, quae civitas est maritima in confinio Thraciae et Macedoniae. Hinc Philippos. Ea civitas colonia, prima occurrit a Neapoli potentibus Macedoniae. In hac civitate commorati sumus dies aliquot, expectantes occasionem auspicandi negotii, cuius gratia veneramus. Porro die sabbati egressi sumus civitatem, in locum qui erat extra portas, vicinus fluvio, ubi solebat esse conventus hominum ad precandum. Hic sedentes loquebamur mulieribus, quae eo converterant, annuntiantes illis Iesum Nazarenum. Inter has erat una religioni dedita, nomine Lydia, purpurarum venditrix, oriunda e civitate Thyatirorum. Ea est Lydiae regionis. Inter multas autem, quae Paulum de Christo differentem audiebant, huic Deus aperuit cor, ut animum adverteret ad ea, quae dicebantur a Paulo. Itaque posteaquam accepisset baptismum una cum sua familia, deprecata est Paulum et illius comites, dicens: Si me iudicatis hoc honore dignam, ut per baptismum ac doctrinam vestram in evangelii consortium recipere tis, habete mihi vicissim hoc honoris, ut divertatis in domum meam, nec aestimetis me ut ethnicam, qualis modo fui, sed qualis nunc per fidem evangelicam vestro ministerio facta sum. His precibus coegerit apostolos, ut apud ipsam aliquamdiu diversarentur. Interim vero doctoribus evangelicis exemplum praebitum est, ut nec refugiant officium ultro delatum ab his, qui nuper conversi sunt ad Christum, si promite et perseveranter offerant, ne videantur illos



parum pro suis agnoscere, nec rursus ingerant sese illis, ne videantur pro communicata doctrina evangelica, praemium reposcere. Sed qui spirituale beneficium accepit, debet benemeritos ad corporale beneficium recipiendum, si forsan opus sit, compellere. Accidit autem, ut euntibus nobis ex more ad precatio-¹⁶ nem, occurreret nobis puella quaedam habens spiritum Pythonis, quae divinando magnificum quaestum adferebat dominis suis. Haec affectata Paulum ac nos,¹⁷ clamabat, dicens: *Isti homines servi sunt Dei altissimi, qui annuntiant vobis viam salutis.* Id quum faceret diebus pluribus, Paulus aegre ferens, ne visideretur agnoscere laudem a fanatica puella tributam, conuersus ad illam, dixit spiritui: *Impero tibi per nomen Iesu Christi, ut discedas ab ista.* Ac protinus exiit spiritus. Porro domini puellae, videntes sibi¹⁹ perisse quaestum suum, apprehensum Paulum et Silam pertraxerunt in forum ad primores civitatis, et sistentes illos apud magistratus, accusarunt eos, dicentes; *Hi homines aliunde profecti, perturbant totam civita-*²⁰ *tem, quum sint Judaei, et invehunt nobis peregrinam*²¹ *religionem, novaque instituta, quae nobis fas non est neque recipere neque exercere, quum vivamus legibus Romanorum, quae vetant recipere peregrinos Deos, aut novos deorum cultus.* His auditis, quoniam in-²² visum erat apud illos Iudeorum nomen, populus concursu facto ferebatur in apostolos, ac magistratus, quo populo furenti satisfacerent, discissis illorum tunicis, iusserunt eos virgis caedi. Nec hac poena contenti,²³ posteaquam illis impegiissent multas plagas, coniecerunt eos in carcerem, mandantes carcerario, ut diligenter servaret eos. Qui quum tale mandatum accepisset,²⁴ quo tutior esset, detrusit illos in carcerem interiorem, nec hoc contentus, strinxit pedes eorum ligno. Haec erant auspicia Macedonicae praedicatio-*nis.* Semper autem aut quaestus, aut ambitio, aut

25supersticio rebellat evangelio. Porro quum atrocissime saevit mundus in membra Christi, tum maxime adest coeleste solatium. Media nocte Paulus et Silas, oblii verberum, oblii carceris, precabantur, et hymnos canebant Deo, gratias agentes illi, quod famulos suos dignaretur hoc honore, ut ob ipsius nomen haec paterentur. Caeteri vero, quos idem carcer habebat, audiebant illos laetis vocibus modulantes laudes Deo, et filio illius Iesu Christo, demirantes unde in rebus 26tam non laetis tanta laetitia. *Ac subito terrae motus factus est ingens, adeo ut totus carcer a fundamentis concuteretur, simulque patefacta sunt omnia ostia carceris, et omnium vincula soluta sunt.* Hoc tumultu expergefactus carceris custos, quum accurrisset, ac reperisset omnia carceris ostia patefacta, atque hinc coniceret fugisse vinculos: memor quale mandatum accepisset a magistratibus, educto gladio, parabat sibi necem consicere, malens suapte manu perire, quam 28post multa tormenta per carnificem occidi. Id Paulus etiam per tenebras cernens, voce magna clamavit, ut vel attonitum hominem redderet attentum, dicens: *Cave ne quid tibi ipsi feceris mali, quando nihil a nobis tibi mali venturum est. Sumus enim hic omnes,* 29neque quisquam nostrum effugit. Ad hanc vocem si bi redditus custos, iussit ministros adferre lumen, quum que deprehendisset ita rem habere, cognovissetque rem non arte factam humana, sed potentia divina simulque considerans, quod Paulus per tenebras vidisset, quid ageret, et quamobrem id ageret, intravit in interiorem 30carcerem, et accidit ad pedes Pauli et Silae, neglectoque mandato, quod acceperat a magistratibus, eduxit eos e carcere in locum commodiorem, dicens: *Domini, quid mihi faciendum est, ut salyus fiam?* Vult permutare salutem. Consuluit illorum vitae, vult et 31animae suae vitae consuli per illos. Aiunt illi: *Crede in dominum Iesum, et salyus eris una cum familia*



tua. Atque inibi statim apostoli explicuerunt illis con-³²
gregatis in unum doctrinam evangelicam. Vides nul-
lum tempus, nullum locum non esse idoneum evange-
licae pietati. Teterimus ille carcer templum erat
apostolis. Non obstabat intempesta nox illorum hym-
nis. In carcere praedicatur evangelium, et praeda at-
trahitur Christo. Carcer evangelii cathedra est. Nec³³
mora, statim custos catechumenus gratiam referre fe-
stинat catechistae suo. Mox enim abduxit illos seor-
sum, et abluit plagas illorum. Noverat hoc officii
carcerarius. Deinde ablutus est ipse a plagiis animi sui,
simil cum tota familia sua. His ita gestis, deduxit il-³⁴
los in aedes suas, ubi consueverat interdiu degere, et
apposuit illis mensam, ut reficerent corpora sua. Post
baptismum enim convenit mensae communio. Ac fibi
gratulatus est custos carceris, quod tales vinctos ha-
bere contigisset, per quos crediderat evangelio cum
tota sua familia. Haec noctu facta sunt. Ut autem³⁵
diluxit, magistratus re diligentius perpensa, miserunt
viantes ad custodem carceris, mandantes ut Paulum
et Silam fineret abire liberos. Custos his auditis, et³⁶
suo et apostolorum nomine gaudens, renuntiavit haec
verba Paulo, quod magistratus iussisset illos abire li-
beros. Nunc igitur, inquit, quoniam res bene cessit,
abite bonis avibus. Paulus autem cupiens et suam in-³⁷
nocentiam reddere testationem, et occasionem quae-
rens plurimum etiam saluti consulendi, respondit nun-
tio: Quum se glorientur esse Romanos, et Romano-
rum legibus non liceat quemquam afficere suppicio,
nisi auditum et convictum, nos homines Romanos nec
auditos et indemnatos publicitus virgis caeciderunt, et
quasi parum id esset, caesos coniecerunt in carcerem.
Nunc suae consulentes auctoritati, et nostram gravan-
tes innocentiam, postulant, ut quasi nobis male con-
scii profugerimus e carcere, clanculum hinc nos sub-
ducamus. Non ita fiet, sed veniant ipsi, et quo iure



coniecerunt nos in carcerem, eodem iubeant abire.
 38 Hanc orationem Pauli viatores referunt magistratibus. Qui simul atque audiissent, quod essent cives romani, venerunt ipsi ad Paulum & Silam, deprecataque sunt illos, ut ignoscerent, quod per populi tumultum, praeter iuris romani morem factum esset, et honoris gratia deducentes illos e domo carcerarii, rogabant ut ob tu-
 39 multum populi vitandum secederent e civitate Philip-
 pensi. His precibus obtemperarunt apostoli, et egressi
 40 de carcere, profecti sunt ad domum Lydiae, cuius ho-
 spitio fuerant usi, quae cum tota familia receperat ser-
 monem evangelicum. Hac igitur reliquaque fratribus
 viuis, consolati sunt eos, narrantes quid accidisset no-
 stru in carcere, et exhortantes ut in eo, quod coope-
 rarent, perseverarent. Eo facto relictais Philippis, alio
 profecti sunt.

CAPUT XVII.

QUUM autem fecissent iter per Amphilopolim et Apolloniam Macedoniae civitates, pervenerunt Thes- salonicam. Ea est Macedoniae metropolis. Hic ob urbis celebritatem erat synagoga Judaeorum, atque hac occasione spes uberioris profectus ostendebatur.
 2 Paulus igitur ex more suo veniebat in conventum synagogae, ac per tria sabbata differebat apud eos, proferens e scripturis oracula prophetarum, et aperiens aenigmata figurarum, et allegans testimonia legis, his-
 3 que collatis cum his quae gesta fuerant, docuit ita de- cretum fuisse Deo, ut Christus pro salute mundi sic pateretur, ac resurgeret a mortuis. Quoniam autem omnia, quae praedita fuerant de futuro Messia per ora prophetarum, quaeque figuris fuerant adumbrata, congruerent in Iesum Nazarenum, docuit Judaeis non alium Messiam esse exspectandum, sed hunc esse Chri-



stum, quem annuntiaret illis. Haec quum Paulus tribus sabbatis disseruisset in synagoga, nonnulli Judaeorum crediderunt, et adiuncti sunt Paulo ac Silae, quin et ex gentibus magna multitudo Deum timendum credidit, et in hac mulieres primariae non paucae. Contra, Judaei quidam nimium studiosi legis mosaike, quibus aliquando faverat Paulus, accensi zelo, et adiunctis sibi circumforaneis aliquot viris malis, talium enim opera opus est, quoties res per tumultum geritur, coacta turba concitayerunt civitatem, ac per tumultum adorti aedes Jasonis, conati sunt Paulum et Silam producere ad populum. Quum autem ingressi domum non invenissent quos quaerebant, protraxerunt ipsum Jasonem, cumque hoc discipulos aliquot ad praefectos civitatis, vociferantes; sic enim olim actum est adversus Christum, ac dicentes: *Hi qui hactenus multis in locis concitarunt orbem terrarum, huc quoque venerunt, ut idem facerent.* Et hos tales clam exceptit Jason. Atqui hi omnes, et qui talia moliuntur, et qui talia molientes, hospitio iuvant, faciunt adversus decreta Caesaris, dicentes alium esse regem praeter Caesarem. Praedicant enim Iesum quemdam, ob hoc ipsum crucifixum a praefide Caesaris, quod se faceret regem Judaeorum. Vide, ut Caesaris nomine hic quoque abusi sunt adversus evangelium. Haec oratio audita commovit populum et praefectos civitatis, quemadmodum commoverat et Pilatum adversus Christum. Tum enim clamabant infelices Judaei: *Non habemus regem nisi Caesarem, et: Si dimittis hunc, non es amicus Caesari, et: Qui cumque se facit regem, contradicit Caesari.* Contra, veri Judaei clamant: *Non habemus regem nisi Jesum Nazarenum, et: Quicumque Caesari se dedit, non est amicus Christi.* Solus enim ille regnum obtinet totius orbis. Caeterum quum Jason, caeterique fratres idoneam excusationem attulissent, dimissi sunt a magistra-



10tibus. Fratres autem ubi senserunt rem magnis odiiis
agi in Paulum et Silam, nihil cunctati noctu clam
emiserunt illos Beroeam. Ea civitas est Macedoniae,
non procul a Pella, patria Alexandri Magni. Sic fu-
giunt duces evangelici, ut nihilo secius fugientes pu-
gnent. Etenim simulatque venissent Beroeam, in-
gressi sunt synagogam Judaeorum, nihi deterriti tot
11iam seditionibus a Judaeis concitatis. Hi vero genero-
fiores erant Thessalonicensibus. Nam sermonem evan-
gelicum receperunt summa cum animi promptitudine,
quotidie vacantes scrutandis divinis voluminibus, ut
cognoscerent quemadmodum ea, quae didicerant ex
apostolorum narratione, convenienter cum oraculis pro-
12phetarum ac figuris legis. Itaque multi crediderunt
Beroeensium, non solum Judaei, verum etiam Graecae
13mulieres honestae, ac viri non pauci. Porro ubi ru-
mor pertulisset Thessalonicam ad Judaeos, qui illic
concitaverant tumultum, quod Beroeae praedicatus es-
set sermo evangelicus a Paulo, quem expulerant, eo
profecti sunt, suoque more et illic concitaverunt mul-
14titudinem adversus apostolos. Fratres ubi senserunt
imminere periculum, protinus emiserunt Paulum, cui
potissimum timebant, ut iret ad mare, cui vicina est
15Beroea. Silas autem et Timotheus remanserunt Be-
roeae. Fratres vero, qui deduxerant Paulum, in-
gressi cum illo navim, perduxerunt eum usque ad Athe-
nas. Illic relicto Paulo, reversi sunt Beroeam, sed
acceptis ab eo mandatis ad Silam et Timotheum, ut
16quum primum liceret, eo sequerentur. Paulus itaque
tametsi solus esset, et collegas suos desideraret, tamen
quum videret civitatem tam celebrem et eruditam de-
ditam esse simulachrorum cultui, incanduit in ipso spi-
ritus, adeo ut non exspectatis collegis, in synagogam
17ingressus, disputaret cum Judaeis ac religiosis. Prae-
terea in foro differebat cum omnibus, qui ipsum adi-
18sent, five Judaei essent, five Graeci. Inter hos erant



Epicurei quidam et Stoici, inter se longe dissidentes decretis. Nam Epicurei summam felicitatem hominis voluptate metientes, aut nulos credunt esse Deos, aut illis nullam esse curam rerum humanarum. Stoici praeter alia paradoxa, felicitatem hominum solo mentis habitu metiuntur, quam illi virtutem sine honestum appellant. Hi cum Paulo conflictati sunt, veluti cum philosopho quopiam novae sectae auctore. Quum autem Paulus illis exposuisset philosophiam evangelicam, ab omnibus philosophorum placitis longe dissonantem, quidam ludibrii causa dixerunt: *Quid vult dicere spermologus iste?* Nam hoc convitio Graeci notabant hominem inepte loquacem ac rabulam. Siquidem sapientia coelestis videbatur illis esse stultitia. Alii vero dicebant: *Videtur novorum daemoniorum genus aliquod invehere, propterea quod Iesum auctorem salutis, et filium Dei, ac resurrectionem mortuorum praedicaret.* Athenienses enim ex Platonis doctrina daemones Deorum filios appellabant, quibus tribuebant quidem corpora, sed immortalia. Proinde quum in foro de Paulo variarent sententiae, visum est illum abducere in vicum Martium. Is locus Athenis est celeberrimus, in quo nocturnis iudiciis causae capitales cognoscebantur. Conveniebat autem is locus huic disputationi, quae credentibus offerebat salutem, incredulis exitium. Dicebant enim: *Licetne scire quod nam sit istud novum doctrinae genus, quod memoras?* Quum enim omne philosophiae genus apud nos tradatur, tu tamen nova quaedam et hactenus inaudita invehis auribus nostris. Cupimus igitur ex te plenius discere, quorum ista tendant quae differis, aut quid sibi velint. Quoniam autem ea civitas erat praeter ceteras Graecias civitas disciplinarum et eloquentiae studio dedita, quo doctrinae gratia plurimi ex omnibus orbis regionibus confluebant, et cives Athenienses, et qui illic versabantur hospites, ad nihil aliud vacabant,



nisi ut aut audirent aliquid novi, aut dicerent, idque
magis animi causa, quam ut per cognitionem rerum
evaderent meliores. Deus autem avidus humanae sa-
lutis, more pescantium aut venantium, unumquemque
22 captat ex occasione rerum quibus delectatur. Paulus
itaque qui noverat omnia fieri omnibus, et eloquen-
tiam suam ad omnium mores attemperare, nactus thea-
trum suum, in medio vici Martii, circumfusa fre-
quenti multitudine, sic exorsus est: Viri Athenienses,
quum haec civitas omni genere literarum ac discipli-
narum prae caeteris floreat, tamen animadvero vos,
quod ad religionem attinet, fere superstitiones esse,
quum praecipua philosophiae pars sit vera religio.
23 Quum enim obambularem, ut cognoscerem ritus et
instituta urbis vestræ, considerans ea, quae vos coli-
tis ac veneramini, inter caetera reperi quamdam aram,
quæ in titulo, quem habebat insculptum, mentionem
faciebat ignoti Dei. Proinde falluntur, qui me dici-
tant invehere novos ac peregrinos Deos, quin potius
hunc ipsum, quem vos ignotum colitis, id quod ille ti-
tulus aerae declarat, ego vobis annuntio, ut posthac
religiose colatis cognitum, quem hactenus supersticio-
24 se coluistis incognitum. Is quum sit mens quaedam
simplicissima, nusquam non praesens, sed sic, ut nul-
li includatur loco, non recte creditur habitare in tem-
plis hominum manu exstructis, aut in simulachris mor-
talium arte confectis, neque pie colitur victimis pecu-
dum, quasi ille vel egeat vel delectetur ulla re, quae
25 manibus humanis geritur. Is enim quum sit immen-
sus in se, quumque sit omnipotens, quum sit summe
felix ex suapte natura, sic ut nec laedi possit iniuriis ho-
minum, nec humanis officiis adiuvari, tamen quoniam
summe bonus est ac beneficus, mundum hunc admira-
bilem hominum causa condidit, et quidquid mundo
continetur, instituit in humani generis usum. Quum
igitur auctor, dominus et gubernator sit coeli terra-
que,



que, et quidquid rerum in his continetur, nullo tam
men ex his omnibus fruitur ipse, propterea quod illius
felicitas aeterna nullius boni desideret accessionem,
sed nobis hanc suspiciendam fabricam pròdidit, ut in
ea versantes homines, ex opificio tam admirabili per-
spicerent potentiam, sapientiam ac bonitatem opifi-
cis, et cognitum amarent, pieque colerent, cuius be-
neficio tot commoditatibus fruerentur. Quodsi ille
superior est universa mundi machina, nec eget ul-
la re ex his, quae condidit, quanto minus censendus est
templis, signis, aut nidore victimarum delectari. Ani-
mi puritate colitur, quum ipse fit animus, nec mora-
tur caedes taurorum aut ovium, qui omnibus vitae est
auctor, vitam et halitum impariens omnibus, quae spi-
rant. Universum enim animantium genus ab illo con-²⁶
ditum est, ac per illum vivunt, suum quaeque genus
foetu propagantia. Sed his omnibus dominaturum, ex
uno homine condidit universum hominum genus, ut
incolerent per omnes terrae regiones, praescriptis uni-
cuique vitae spatiis, quae nemo sibi posset prorogare,
ac distributis terrae portionibus, quam quaeque inco-
leret natio. Errant enim, qui mundum a Deo con-
ditum putant illius gubernatione destitutum, temere
casuque ferri, quum nihil omnino geratur in mundo,
neque magnum neque parvum, nisi ex providentia con-
ditoris. Quoniam autem iuxta suam naturam incom-²⁷
prehensibilis est ingenii humanis, corporum mole gra-
vatis, constituit homines ratione praeditos, ut aliud
ex alio possint colligere, ex visibilibus invisibilia, ex
singularibus universalia, ex temporariis aeterna, ex
his, quae sensibus percipiuntur, ea quae non nisi intel-
lectu comprehenduntur, in medio rerum omnium the-
atro, ut ex rebus conditis, quae perspicerent oculis,
contrectarent manibus, sentirent utilitate, vestigarent
ac scrutarentur conditorem, et quemadmodum caecu-
tientes palpando tandem reperiunt id, quod videri

Tom. III.

L



non potest, ita illi ex consideratione rerum admirabiliter conditarum, pervenirent ad aliquam Dei cognitionem, quem vere cognovisse, summa felicitas est. Quamquam non est necesse, Deum in rebus extrariis quaerere, quum eum in nobis ipsis liceat invenire, si modo seipsum unusquisque contempletur, et in seце consideret opificis virtutem, sapientiam ac bonitatem. Quum enim Deus in orbibus coelestibus, in terra, in mari, in omnibus animantibus prodiderit vestigia quae-dam suae divinitatis, tamen in nullo mirabilior est, quam in ipso homine. Quod si quis sit hebetiore ingenio, quam ut astrorum motus, maris aestus, fontium scatebras, amnium perennes cursus, ac caeterarum rerum abditas causas queat assequi, non procul 28 abest Deus ab unoquoque nostrum. *Per ipsum enim omnes vivimus, movemur et sumus.* Nec enim alii debemus, quod sumus aliquid, quam ei, qui mundum hunc condidit ex nihilo, nec alterius beneficium est quod spiramus, illico morituri, si nos ille destituat, nec alii debemus, quod vivi corporis membra suo quaeque officio funguntur, ut oculi prospiciant, pedes ambulent, manus operentur. Est igitur in unoquoque nostrum Deus, qui per nos operatur, velut opifex per organum ab ipso compositum. Refert autem homo Deum, non solum ut opus opificem, verum etiam ut filius parentem, similitudine quadam et cognatione naturae. Sic enim nobis proditum est sacris voluminibus, quod Deus Adamo humani generis principi corpus finxerit ex uda argilla, qua parte cognationem haberet, cum caeteris animantibus, sed ore suo inspiravit huic luteo simulachro particulam aurae coelestis, qua Deum ipsum parentem proprius referremus, et propter naturae similitudinem facilius eum cognosceremus; quod caeteris animantibus datum non est. Hoc vobis absurdum videri non debet, quum



quod mysticis literis proditum est, id quidam etiam
vestratium poëtarum dixerunt, quorum est Aratus, cu-
ius hoc est hemistichium in Phaenomenis: *Nam huius
progenies etiam sumus.* Non refert enim quod ille de
Iove loquitur, certe hoc, quod Iovem appellat, sum-
num Deum et omnium rerum parentem esse putavit,
sed praecipue generis humani. Proinde quum simus ge-²⁹
nus Dei iuxta mentis inditae similitudinem, parum
recte sentimus de parente nostro, si quum ipsi potissi-
mum aestimemur homines ob invisibilem nostri par-
tem, quae est ratio, credimus illum similem auro, ar-
gento, ligno, aut lapidi hominis arte sculpto. Quid
enim absurdius, quam quum homo, tametsi nonnulla
cognitionem habeat cum Deo parente, tamen
longissime absit a cognomine Dei, ipsum manibus suis
fingere posse statuam, quae numen habeat? Debet au-
tem esse multo praestantius, quod pro Deo colitur, eo
qui colit. Jam homo quot nominibus praestantior est
simulacro, cui honores divini tribuuntur? Primum
hanc ipsam corporis speciem a Deo accepit, deinde
spirat, vivit, movetur et agit, postremo mentis vi-
gore similitudinem quamdam habet cum Deo parente,
Nihil horum in statua. Quod si sit impium, hominem
pro Deo colere, quanto longius abest a vera pietate,
colere signum artificis arbitrio ex materia confectum,
unde si libuisset, poterat et scannum facere; quod
adeo nullam habet cum Deo similitudinem, qui est
incorporeus, ut praeter summam et imaginariam
quamdam speciem corporis, nihil habeat cum homine
simile, ne micam quidem habens eius partis, qua ho-
mo Dei gerit imaginem. Haec contumelia quum sit ³⁰
atrox in Deum, tamen pro sua erga genus humanum
caritate non ultus est, sed velut dissimulavit hactenus
ignorantiam hominum, donec veniret tempus, quo
decreverat omnibus innotescere, omnemque caliginem
errorum discutere. Hoc tempus nunc adest, quo de-

L 2



31 nuntiat omnibus, ut ab errore pristino resipiscant. Resipiscientibus enim vult esse paratam veniam, quae post hac non erit parata contumacibus, eo quod constituit diem, quo iudicaturus est universum orbem iusto ex aeterno iudicio, quod nemini licebit effugere. Et ideo praemittit denuntiationem, ne quis praetexere possit ignorantiam, et offert resipiscientibus veniam, ne quis in Deo desideret misericordiam. Ad utrumque delegit virum eximum Iesum Nazarenum, quem ideo misit in mundum, ut omnes per hunc ad veri Dei cultum converterentur, per eundem iudicaturus incredulos, et huius doctrinae rebelles. Hunc per prophetas suos multis retro seculis promiserat et servatorem et iudicem. Et hactenus praestitit bona fide, quidquid promiserat. Sic natus est, sic docuit, sic afflatus et occitus est, denique sic surrexit a mortuis, quemadmodum praedictum erat oraculis prophetarum. Nec dubium est quin simili fide fit praestiturus et alia quae restant.

32 Haec orante Paulo, nonnulli ex circumstantibus, quum caetera satis aequis auribus accepissent, posteaquam audissent mentionem resurrectionis, irridebant veluti rem absurdam et incredibilem, quod nullus philosophorum hanc opinionem prodiisset, tametsi essent nonnulli, qui dicerent animas a morte corporum esse superstites, quidam etiam praedicarent eas demigrare de corpore in corpus. Alii vero minus precipitis iudicij dicebant: *Audiemus te alias hac ipsa de re denuo.*

33 Sic Paulus dimisit illum coetum. Erant tamen in eo 34 numero, qui persuasi adiungerent se Paulo, in quibus erat Dionysius Areopagita, qui post Athenis episcopum egit a Paulo institutus, ac mulier quaedam nomine Damaris, cumque his alii nonnulli.

CAPUT XVIII.

Hoc qualicumque lucro profectus evangelici parato Athenis, ut in civitate longe corruptissima, Paulus



inde profectus contulit sese Corinthum. Id est celeberrimum totius Graeciae emporium, ut opulentum, ita luxu, libidine, fastu longe corruptissimum. Hic forte 2 reperit quemdam nomine Aquilam, Judaeum religione, patria Ponticum. Ea pars est Asiae minoris ad plagam septentrionalem. Commodum autem nuper eo venerat ex Italia simul cum coniuge sua Priscilla, propterea quod Claudius Caesar Judaeos omnes, quorum illic magna vis erat, exegisset ex urbe. His igitur adiunxit sese Paulus, ne solus esset, et quoniam erant eiusdem opificii, diversabatur in iisdem aedibus, manibus laborans apud eos, ne cuiquam gravis esset. Erat autem illorum ars, e pellibus consuere tabernacula. Quemadmodum non puduit Petrum ad piscationem redire, quum urgeret inopia, ita nec Paulum tantum apostolum, tantisque rebus pro Christo gestis, puduit ad intermissas ob evangelium pelles reverti. Nec tamen interea cessabat ab evangelico munere, singulis sabbatis disputans cum Judaeis pariter ac gentibus in synagoga. Interea venerunt ex Macedonia Silas 4 et Timotheus, quos Paulus sequi iusserat in Atticam. Hoc facto Paulus, quoniam poenitebat proiectus, quem illic capiebat, coarctatus est spiritu, nihilo segnitus tamen testificans apud Judaeos Iesum Nazarenum, quem ipse praedicaret esse Messiam a prophetis promisum, nec per alium fore salutem. Caeterum quum 6 illi reclamarent, adeo ut nec blasphemias vererentur evomere in Iesum et Paulum, Paulus memor evangelici praecepti, excussis vestibus suis, velut exprobrans, quod gratis attulisset ad ipsos optabile nuntium salutis, dixit ad illos: Si mavultis perire quam servari, veniat sanguis vester in caput vestrum, qui vobis ipsis estis mortis auctores. Mihi certe, qui meo officio functus sum, ac proinde mundus, non poterit imputari. Post hac igitur conferam me ad gentes, quemadmodum nobis praecepit dominus. Itaque subducens sese a con- 7

L 3



tubernio Judaeorum, demigravit in aedes Titi cuius-
dam, cognomine Justi, hominis religioni dediti, cu-
8 ins domus adhaerebat synagogae. *Crispus synago-*
guae princeps ex occasione viciniae, credidit domino
cum tota sua familia, cumque hoc complures Corin-
9 *thii audito Paulo credebant et baptizabantur.* Ubi
vero nec hic profectus responderet aviditati Pauli, Ju-
daeis vehementer oblatrantibus, coepissetque cogitare
de relinquenda Corintho, dominus per visum in so-
mnis confirmavit illius animum, dicens: Ne terreat te
Judaeorum pervicacia, neque propter illos suppressas
sermonem evangelicum, neque enim ob paucorum in-
vincibilem malitiam destituenda est multorum salus.
10 Perge constanter loqui sermonem evangelicum, me fre-
tus, quem habes protectorem adversus quamlibet mul-
tos satis idoneum. Me protegente te nemo mortalis
adorietur, ut affligat. Itaque ne quo discedas, quo-
niam in hac civitate quantumvis corrupta populus est
copiosus, quem ego ad salutem aeternam destinavi.
11 His auditis, Paulus vertit consilium humanum, et ob-
temperans consilio Dei, commoratus est Corinthi an-
num unum et menses sex, fortiter ac libere praedicans
12 sermonem evangelicum. Quum autem id temporis
Gallio proconsul nomine Caesaris administraret Achae-
iam, in qua est Corinthus, conspiratis animis coorti
sunt Judaei adversus Paulum, ac tumultu facto pertra-
xerunt ad tribunal proconsulis, accusantes cum ac di-
13 centes: *Hic contra legem Mosi persuadet hominibus ut*
14 *colant Deum, novos invehens ritus.* Ad hoc crimen
quum Paulus aperiens os suum iam appararet respon-
dere, Gallio ex proposito crimine sentiens esse contro-
versiam inter eos de religione iudaica, quaerebat oc-
casionem, ut liberaretur a cognitione causae, praeve-
niensque Pauli defensionem, dixit Judaeis: Ego nomi-
ne Caesaris hic proconsulem ago, viri, ut rem civilem
administrem, ne quid praeter leges publicas admitta-

tur. Proinde si quis esset affectus iniuria, si quod facinus malum perpetratum esset, quod oporteret legibus vindicari, merito eque meo officio vos audirem. Taliū enim causarum cognitio ad me pertinet. Quod 15 si nihil est istius generis, sed peculiaris est inter vos controversia de nominibus sectarum, aut sermone religionis iudaicae, deque lege vestrā, quoniam ista non pertinent ad munus quod gero, nec apud me iudicem recte discuti possunt, qui vestrae religionis sum ignarus, ipsi melius inter vos transfigetis. *Ego iudex istiusmodi causarum esse nolo.* His dictis proconsul 16 abegit eos a tribunali. Sosthenem autem synagogae 17 principem, quia disertis Judaeis adiunxerat se Paulo cum tota familia, percutiebant ante tribunal, magis huic indignantes, quam Paulo, quod sibi persuasissent, Paulum nihil acturum fuisse Corinthi, nisi huius favore fultum. Nec huic tumultui se proconsul admisit, dissimulans quod fieri videbat. Quum enim esset invisum Romanis Judaeorum nomen, neque distinguerent adhuc inter Judaeum et Christianum: non curabat manus proconsul, quid Judaeus faceret Judaeo, sciens ubique nationem eam solere rixosam esse. Paulus au- 18 autem memor admonitionis divinae, tametsi videret Judaeorum rabiem in dies gliscere, tamen complures adhuc dies sustinuit. Tandem animadvertisens illic sati feliciter auspicatum evangelium, statuit ad tempus cedere furori Judaeorum. Itaque dicto vale fratribus, instituit navigationem in Syriam, comitante simul Aquila cum uxore sua Priscilla. Quoniam autem Paulus intellexit Judaeos ob hoc potissimum tumultuari, quod videretur negligere ritus legis homo natus in Judaismo, priusquam solveret Cenchreis, is est Corinthi portus, totondit sibi caput, suscepto voto iuxta morem iudaicum. Erat hic non fraudulenta simulatio, sed obsequium caritatis. Cupiebat enim omnes adiungi evangelio, et ideo semet omnium affectibus, quoad li-

L 4



cuit atteniperavit, ut omnes Christo lucrifaceret, *Judeis factus Judaeus, incircumcisus incircumcisus.* Datum est hoc ad tempus invincibili quorumdam superstitioni, donec se clarius proferret evangelica veritas. Neque enim tondere caput ex voto, per se malum est, sed huiusmodi iudaicis ceremoniis tondere, malum est. Quemadmodum nec circumcisio laedit fidem in Christo, nec praeputium, in quibus nonnunquam obsequi caritatis est, sed ad tempus, sed ubique datur oportunitas reclamando. In aliis quae per se mala sunt, non oportet obsequi cuiusquam imbecillitati. Neque enim in scortationibus, aut cultu simulacrorum Paulus unquam obsequutus est gentibus, in commercio, in negligendo ciborum delectu, in citandis illorum poëtis, nonnunquam est obsequutus.

19 Primum itaque per ventum est Ephesum. Ea civitas est maritima Asiae minoris in ea parte, quae proprie nulloque additamento vocari solet Asia. Ibi reliquit Aquilam et Priscillam, cupientes Ephesi sedem figere. *Ipse vero ingressus synagogam Judaeorum, qui illic habita-*

20 bant, disputabat cum illis. *A quibus quum rogare-*

21 tur, ut diutius secum commoraretur, excusavit, sed dixit illis vale, speque maturi ad ipsos redditus consolatus est animos illorum, dicens: *Oportet omnino fe-*

22 *stum, quod instat, agere Hierosolymis, sed denuo rever-*

tar ad vos, si Deus ita voluerit. Haec loquutus sol-

lit Epheso, navigaturus Hierosolymam, quumque ap-

pulisset ad Caesarem Palaestinae, adscendit Hierosolymam, et salutavit congregationem. Hinc profectus

23 est Antiochiam Syriae. Hic aliquamdiu commoratus, peregit iter quod cooperat, perambulans deinceps Galaticam regionem ac Phrygiam, ubique confirmans discipulos, ubicumque sese offerret aliqua congregatio. Tanta sollicitudo tenebat animum Pauli erga gre-

24 gem, quem Christo lucrifecerat. *Interea quidam no-*

mine Apollos, religione Judaeus, patria Alexandri-



nus, vir eruditus, et divinarum scripturarum peritia non vulgariter pollens, devenit Ephesum, ubi Paulus reliquerat Priscillam et Aquilam. Hic Apollos erat semichristianus. Didicerat enim a christianis rudimenta doctrinae evangelicae, ferventique studio quod didicerat aliis communicabat, ac diligenter docebat, quae cognoverat de Iesu, quam nondum esset baptizatus baptismō Christi, quo conferebatur uberior gratia, sed tantum noverat baptismum Ioannis, quo docebatur poenitentia. Id existimabat sufficere, nondum ad plenum edoctus de his, quae tradiderat Christus. Quem 26 quum audissent Priscilla et Aquila magno spiritu loquentem de Iesu, sed nondum perceptis omnibus evangelicae philosophiae mysteriis, adiunxerunt hominem fibi, quem perspiciebant eiusmodi dotibus instructum, ut videretur egregius Christi praeco futurus, ac privatim exactius illi tradiderunt mysteria religionis evangelicas, quemadmodum ipsi a Paulo didicerant. Non repulerunt illi doctorem sedulum quidem illum sed imperfectum, nec hic vir aliqui praestans deditus est a quovis admoneri. Ab illis praebitum est exemplum, eos, in quibus refulget bona spes melioris profectus, civiliter adiuvandos. In hoc data est forma, libenter a quovis esse discendum, quod non citra salutis dispensium ignoretur. Tinctus est Apollos in nomine Iesu, et accepit spiritum sanctum. Porro postquam evange- 27 lii praedicandi studio cuperet adire Achiam, in qua est Corinthus, fratres eo propensum ultro etiam extimularunt, ac literis ad Achaicos scriptis commendarunt illum discipulis, ut exciperent eum. Qui quum eo venisset, multam utilitatem attulit his qui crediderant, strenuum propugnatorem agens evangelici negotii. Nam eloquentiam cum eruditione sacra coniunctam adiuvabat spiritus coelestis. Quibus armis instructus acri- 28 ter revincebat Judaeos, sine fine belligantes adversus subolescentem evangelii frugem, palam ac publice demon-



strans scripturarum testimoniis, quod Jesus esset ille Messias, quem Judaei tot seculis exspectarant, quodque in hunc competenter omnia, quae fuerant a prophetis ante praedicta.

CAPUT XIX.

Caeterum quemadmodum Priscilla et Aquila in Apollo correxerant imperfectum christianismum, ita Paulus idem in aliis aliquot deprehensum correxit. Interim enim dum Apollos versaretur Corinthi, quae metropolis est Achaiae, accidit ut Paulus peragratis caeteris minoris Asiae regionibus, quae magis vergunt ad septentrionem et orientem, rediret Ephesum. Illic reperit quosdam e discipulis imperfecte christianos, 2 caetero gregi fratrum admixtos. Hos igitur ut corrigeret percunctatus est Paulus, num spiritum sanctum accepissent, posteaquam credidissent. Illi quoniam non malitia, sed simpliciter errabant, ingenue contentur id quod erat, dicentes: *Imo ne auditum quidem est nobis unquam, an sit aliquis spiritus sanctus,* 3 qui confertur credentibus. Tum Paulus: *Quo igitur baptismo baptizati estis, quandoquidem habemini pro christianis?* Hic illi: *Ioannis, inquit, baptismate.* 4 Id nobis sufficere credebamus. Tum Paulus: Nihil quidem admissum est piaculi, quod olim ante proditam evangelii lucem accepistis baptismum Ioannis. Verum is non sufficit ad salutem aeternam. Quemadmodum enim doctrina Ioannis non erat absoluta, sed tantum testificabatur de Iesu vero salutis auctore, qui erat ipsi successurus, praeparans animos illorum, ut venienti crederent, ita baptismus Ioannis non conferebat perfectam iustitiam, sed tantum hortabatur homines, ut poenitentia vitae superioris praepararent animos suos medico mox venturo, qui suo baptismo per fidem ab-



leret universa peccata, qui per suum spiritum coelestibus dotibus locupletaret animos credentium. Tradidit hoc suis apostolis dominus Iesu, ut qui credidissent evangelico sermone, eos baptizarent in nomine patris, et filii, et spiritus sancti. Hunc in modum doceri merebantur, qui simpliciter errabant. Atque illi moniti, promte obtemperaverunt monitori, moxque baptizati sunt in nomine domini Iesu. Hoc peracto quum Paulus imposuisset illis manus, venit spiritus sanctus super eos, ac signum oculis exhibitum res ipsa consequa est. Nam et linguis loquebantur, et prophetias edebant de rebus occultis ac futuris. Erat autem numerus virorum ferme duodecim. Hoc facto Paulus veluti renovata auctoritate sua, quod doctor gentium, per impositionem manuum suarum impartiret spiritum sanctum, quemadmodum et caeteri apostoli, ingressus synagogam Judaeorum illic agentium, palam ac libere loquebatur omnibus, praedicans in solo Iesu salutis esse spem, idque fecit non paucis diebus, sed totos tres menses, disputans de regno Dei, quod est evangelicum ac spirituale, adversus eos, qui legis regnum carnale mordicus tenebant. Posteaquam vero quidam e synagoga non crederent his, quae disputabantur a Paulo, sed obstinatis animis obsisterent, adeo ut coram multitudine palam convitiis incesserent doctrinam evangelicam: Paulus animadvertisens periculum, ne qui crediderant, illorum malitia corrumperentur, subduxit se a synagoga Judaeorum, et ab eis segregavit discipulos, nec interim tamen desit praedicare sermonem evangelicum. Sed *quotidie differebat in schola Tyranni cuiusdam*, iam veluti puram ecclesiam meditans, synagogae fermento non vitiatam, quae non reciperet nisi dociles, obstreperos ac blasphemos non admitteret. Id factum est per biennium tanto fuc-**10** cissu, ut non solum Ephesii, verum etiam alii multi, partim Judaei, partim ethnici, qui confluebant ex ea



Asiae minoris parte, quae proprie Asia dicitur, et in qua
11 est Ephesus, audirent sermonem evangelicum. Ser-
moni fidem adstruebant miracula, quae cum multa,
tum insignia Deus edebat per Paulum, adeo ut non so-
12 lum dictis aut attacku propelleret morbos, verum et
iam sudariola ac semicinctia, quae contigissent corpus
Pauli, deferrentur ad aegrotos, qui Paulum adire non
poterant, atque ad horum contactum abirent morbi,
malique spiritus effugerent. Tanta erat fiducia erga
13 Iesum, quem praedicabat Paulus. Id ubi vidissent Ju-
daeи quidam, ex eorum numero, qui circumeunt, et
ad quaestum certis ritibus ac verbis conceptis eiiciunt
noxios spiritus, artem hanc iactantes sibi a Solomone
traditam, tentaverunt et ipsi per invocationem domi-
ni Iesu pellere malos daemones, non quod faverent
gloriae nominis illius, aut beneficiandi studio duce-
rentur, sed quod inde sibi plus quaestus et gloriae pro-
venturum crederent. Itaque mutatis verbis, quibus
exorcismum peragere solebant, dicebant daemonibus:
14 Adiuro vos per Iesum, quem Paulus praedicat. Hoc
potissimum faciebant septem filii Judaei cuiusdam no-
15 mine Scevae, primarii sacerdotis. Quum autem ad
hunc modum tentassent exorcismum in quemdam malo
daemoni obnoxium, respondit exorcistis impius spiri-
tus: Iesum, per cuius nomen me terrere paratis, novi,
et Paulum Iesu praeconem novi, vos autem, qui tan-
dem estis, qui Iesu Paulique nomine ad quaestum abu-
timini, quum neque Iesu discipuli sitis, neque Pauli?
Simulque cum dicto homo malo daemoni obnoxius in-
filiit in exorcistas, et invaluit adversus illos, adeo ut
16 aegre nudi sauciique profugerent ex aedibus illis. Ea
res divulgata est per universam civitatem Ephesiorum,
et apud Judaeos illic agentes, et apud gentes. Unde
timor ingens corripuit omnes, ac magnificabant no-
men domini Iesu, quod sic esset salutiferum omnibus
sincere credentibus, ut nullius quaestui aut gloriae ser-



vire vellet. Paucorum calamitas' multis fuit saluti.¹⁷ Nam exemplo filiorum Scevae territi complures, qui iam credere cooperant evangelio, quum viderent ultionem paratam his, qui parum sinceris animis invocarent nomen domini Iesu, veniebant ad Paulum, confitentes ac proferentes admissa sua, ut per poenitentiam effugerent divinam ultionem. Erat enim Ephesiorum civitas p[re] caeteris dedita superstitionis artibus, vel ipsorum proverbio teste, quo dicunt: *Ephesias literas*. Proinde complures illic erant, qui per errorem vel ex-¹⁸ ercuerant iudaicos exorcismos, vel illis crediderant. Quin etiam multi ex ipsis, qui magicas et curiosas ar-¹⁹ tes exercuerant, comportatis in publicum libris, ex- usserunt eos coram omnibus. Quorum tanta fuit myl- titudo, ut supputatis illorum pretiis, reperta sint de- niorum quinquaginta millia. Pecuniae iactura, lu-²⁰ crum erat evangelii. Siquidem his modis vehementer augescet et confirmabatur sermo domini, salutaris his, qui simplici fide amplectentur, formidabilis il- lis, qui minus sincere in eo versarentur. His per bien-²¹ nium satis feliciter Ephefi gestis, Paulus admonitus spiritu statuit, ut peragrata Macedonia et Achaia, proficeretur Hierosolymam, dicens: *Mihi Roma quoque videnda est*, sed non prius quam revisero Hie- rosolymam. Hoc igitur animo quum esset, praemisit²² in Macedoniam duos ex his, qui sibi ministrabant, vi- delicit Timotheum et Erastum, ut et eleemosynarum aliquid illic colligerent, sublevandis pauperibus qui erant Hierosolymis, et animos illorum in adventum Pauli praepararent. Ipse Paulus interim remansit ad tempus in Asia. Hoc tempore coorta est gravis tem-²³ pestas adversus evangelium apud Ephesios, non iam a Judaeis, ut fere solet, verum ab his, qui deorum su- perstitionem a maioribus traditam nimium imbiberant. Erat, ut diximus, Ephesiorum civitas magnopere de-²⁴ dita curiosis artibus, et Diana credita est apud gentes



in beneficiis habere numen aliquod, unde et triformis ab illis dicitur, quemadmodum Hecate. Eoque summa religione colebatur apud Ephesios. Quaestus igitur primus erat fons huius tumultus, auxilia petita sunt a superstitione populi. Erat enim tum Ephesi quidam nomine Demetrius, arte faber argentarius. Is quum delubra ficeret argentea Diana, quod argenti color rem luna referat, non mediocrem quaestum adferebat
25 eius artis peritis. Quotquot igitur ex fabricandis Diana simulachris quaestum faciebant, tum quotquot erant eiusdem opificii, quos ob artis consortium oportebat favere, Demetrius convocavit in unum, apud quos seditiosam habuit orationem hunc in modum: Viri, tempus est ut communi ope commodis nostris consulamus. Non est opus, ut vobis commemorem, vos ipsi licetis opificium nostrum apud Asianos uberrimi quaestus esse ob religionem Diana, quae si labefactetur, necesse est simul et quaestum nostrum frigescere.
26 Atqui videtis simul et auditis, res enim in proposito est, quod Paulus iste iam totum biennium hic praedicat non esse Deos, qui manibus hominum fiunt, neque quidquam habere numinis, quod ars sculptorum aut fusorum ex quacumque materia fabricatur. Atque huiusmodi praedicatione persuasit multis, non solum hic apud Ephesios, verum etiam per totam Asiam, ac numerosam hominum multitudinem avertit a cultu
27 deorum. Quoniam autem hoc opificium alit nos, ac familiam nostram, quid superest, nisi ut sublato quaestu redigamur ad famem? In tanto vero periculo dormitare nos, insignis cuiusdam socordiae fuerit. Quod si quem parum movet hoc periculum, ne neglecta arte nostra, decedat nobis quaestus, quem nunc luculentum capimus, certe publica religio debet omnes commovere, quando, si haec impune patiemur agere Paulum, periculum esse videmus, ne templum quoque magnae deae Diana, quod nunc celebre est ac religiosum, ma-



gnisque donariis locuples, pro nihilo habeatur. Quis enim veneretur templum, si persuasum fuerit templi praefidem nullum habere numen? Itaque futurum est, ut tantae Deae maiestas, ob quam merito dicitur magna, quamque nunc non solum haec civitas et Afia, verum etiam totus orbis religiose colit, paulatim aboleatur. Itaque si prudentiam esse iudicatis, consulere quae*stui* vestro, si pium esse iudicatis, ab iniuria vindicare patrios deos, hic prae*statae* vos fortis viros, et venienti malo occurrite. Haec oratio sic concitavit su-²⁸ per*stitionis* ae multitudinis animos, ut omnes vociferari coeperint: *Magna Diana Ephesiorum.* Ad hunc cla-²⁹ morem seditionis tota civitas Ephesiorum impleta est tumultu, et concursu facto, promiscua multitudo magno consensu procurrit in theatrum, ubi solet regnare populi furor, atque eodem arripuerunt duos Macedones, Gaium et Aristarchum, Pauli comites. Porro³⁰ quum Paulus, auditio quod acciderat, vellet prodire ad populum, simul et opitulatus suis comitibus, et populo persuasurus, discipuli non permiserunt, inconsultum esse iudicantes, si fese tradere furenti populo, nullum inde fructum relaturus evangelio. Quin et³¹ alii quidam ex Afiae primoribus, qui tametsi Christi no-men nondum essent professi, tamen quoniam bene vo-lebant alioqui Paulo, miserunt ad illum, qui verbis ipsorum rogarent eum, ne se committeret concitatae multitudini. Interea varius erat fremitus populi, aliis aliud, ita ut sit, vociferantibus. Erat enim concio ex³² variis hominum generibus, diversisque studiis confusa, plerisque etiam ignaris, quanam ex causa eo conve-nissent. Res itaque popularem quempiam oratorem³³ poscebat, qui quocumque modo praesentem tumultum sedaret. Igitur e conferta turba protractus est quidam Alexander, propellentibus eum Judaeis, ut oratione sua compesceret tumultum. Nullus enim audebat apud furiosam, et variis ex studiis confusam multi-



tudinem verba facere, ubi quidquid dictum esset, oportebat aliquos offendи. Is igitur protractus, mota manu postulavit audientiam, iamque parabat reddere rationem. Caeterum simul atque multitudo cognovis.
set Alexandrum esse Judaeum, quae natio quoniam unum Deum colit, detestatur deos ethnicorum, renovatus est tumultus, exspectantibus ut aliquid diceret adversus maiestatem Diana. Proinde una voce omnes vociferari coeperunt: *Magna Diana Ephesiorum.* Is
35 clamor perduravit ad duas ferme horas. Tandem quum scriba civitatis silentium impetrasset a multitudine, dixit Alexander: *Viri Ephesii, quoniam pertinet ista vociferatio? Quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnae Dianae, et a 36 Iove delapsi simulachri?* Quum igitur nemo contradicat his, quae vos confirmatis, non est cur hunc tumultum excitetis, sed oportet vos sedatos esse, neque
37 quidquam praecipitanter agere. Adduxistis enim duos istos viros, neque sacrilegos, neque blasphemos in deam vestram. Ob haec enim vindicanda merito
38 fortasse concurreret populus. Quod si Demetrius argentarius, caeterique huic adhaerentes opifices, per quos tumultus hic ortus est, habet aliquid adversus aliquem quod accusent, nihil opus est hoc theatro, neque concursu populi, neque tumultu. Sunt enim in hac civitate leges, sunt conventus forenses, sunt proconsules, qui causas cognoscant, ac lites dirimant, et in maleficos animadvertant. Apud hos invicem accusent se, qui dederunt occasionem huic concursui, quandoquidem illorum causa nihil ad populum attinet.
39 Quod si causa privata non est, sed ad populum etiam pertinet, tamen non est necesse, rem sic per tumultum geri. Si quid enim flagitatis, poterit expediri legitima concione, convocata per quos oportet, et quemadmodum oportet. Nunc periculum est, ne propter tumultum, hodie factum arguamur seditionis apud magi-



magistratus, quum nullam idoneam causam adferre possimus, cur hic concursus populi factus sit in theatrum. Haec quum dixisset, dimissa est concio.

CAPUT XX.

Poste aquam sedatus est ille tumultus, Paulus convocatis in unum discipulis, exhortatus est eos, ut constanter pergerent in his quae coepissent, et amplexus illos, ac vale dicto, profectus est, ut iret in Macedonia. Ubi vero peragrasset Macedoniae regiones, et ubicumque esset congregatio, multis verbis eos fuisse exhortatus, ut in evangelica sinceritate perseverarent ac proficerent, venit in eam partem, quae proprie dicitur Graecia, in qua est Achaia. Ubi quum fuisset menses tres, atque hinc pararet navigare in Syriam, sensit sibi in eam navigationem structas infidias a Judaeis. Itaque visum est tutius mutare portum, et repetita Macedonia, ab eo littore repeteret Syriam, in quod appulerat, quum primum adiret Macedoniam. Huius itineris comites erant nobis Sosipater Beroeensis, Pyrrhi filius, Thessalonicensium vero Aristarchus et Secundus, cumque his Caius Derbensis ac Timotheus. Rursus Afiani Tychicus ac Trophimus. Hi quum Paulo in Macedonia commorante praecessissent, procuraturi quod ad tutam navigationem pertineret, exspectarunt nos Troade. Nos per Macedoniam pervenimus Philippos. Hinc post dies azymorum qui festo paschae contigui sunt, solvimus, et intra dies quinque pervenimus ad illos Troadem, ubi commorati sumus dies septem. Hic accedit quiddam memorabile. Quodam enim die sabbatorum, quum discipuli convenissent ex more ad frangendum panem, Paulus ubique pastorem agens, reficiebat animos illorum sermone sacro, postridie profecturus, eumque sermonem produxit

Tom. III.

M



8 in multam noctem Ea ne dirimeret gratissimum colloquium, erant multae lucernae in coenaculo, in quo
9 tum eramus congregati. Erat in hoc numero adolescentis quidam, nomine Eutychus, sedens in fenestra. Is quum gravaretur profundo somno, Paulo diu disserente, adeo tandem depresso est vi soporis, ut a tertio coenaculo pronus decideret in terram. Accursum est, sed repertus est mortuus, ac sublatus in domum.
10 Id ubi cognovit Paulus, descendit, atque ad exemplum Eliae prophetae, incurvato corpore incubuit super eum, veluti complexu suo fovens exanimem. Hoc facto vertit sese ad discipulos, ob inopinatum casum turbatos: Nolite, inquiens, turbari, adhuc anima eius in ipso est, nondum enim tota corpus reliquit,
11 Hac oratione consolatus illos, rursus ascendit coenaculum, fregitque panem, ac degustavit, deinde rursus diu colloquutus cum illis usque ad diluculum. Ita demum profectus est. Adeo durum est amantissimum
12 patrem a suis filiis distrahi. Porro, qui remanerant apud adolescentem, adducunt eum in coenaculum vivum et integrum. Quae res non mediocriter refocillavit animos omnium. Non enim decebat ut sermo, qui salutem adfert omnibus, adolescenti mortis eset occasio.
13 Nos autem consensa navi Troade, solivimus Asson. Ea civitas est maritima infra Troadem. Sic enim ordinarat Paulus, ut eo navi praecedereimus, ipse terra pedibus facturus iter, vel quia tutius erat,
14 vel ut plures salutaret. Quum autem convenissemus Asson, Paulo recepto, una devenimus Mytilenen. Ea
15 civitas est littoralis Lesbi. Hinc solventes, postridie pervenimus contra Chium insulam. Rursus hinc posterius die appulimus ad Samum insulam, atque hinc traxicimus Trogylgium. Ea civitas est littoralis Afiae, Samo opposita. Hic eam noctem commorati, postridie pervenimus Miletum. Ea civitas est maritima Cariæ. Quamquam autem praeterlegentibus Afiae lit-



tus, prius occurrebat Ephesus, quam Trogylillum aut Miletus, tamen ita decretum erat Paulo, praeternavigare Ephesum, ne tempus tereret in Asia, si per infidias non licuisset illinc tuto solvere in Syriam. Prooperabat enim, ut si fieri posset, diem pentecostes ageret Hierosolymis. Ne tamen videretur Ephesios ob*17* neglectum aut odio praeterisse, misit e Mileto, qui presbyteros congregationis Ephesiōrum accerserent, quibus eam congregationem curandam commendarāt.
Qui quum vocati venissent, hunc in modum loquutus *18* est illis: Non est necesse, fratres, ut meam sinceritatem in evangelico negotio vobis commemorem. Vos ipſi scitis, qui vidistis, quomodo me per omne tempus apud vos gesserim a primo die, quo sum ingressus Asiam, non meam gloriam, aut meum compendium venans a quoquam, sed in tradendo evangelio, domini Iesu iussis obtemperans, eiusque voluntati per omnia serviens, nimirum ipsius inhaerens vestigiis, qui se deiecit, qui se tradidit in afflictiones ac mortem, ut ecclesiam suam purgaret ac constabiliret. Ita et ego cum multa humilita-*19* te et ignominia, quam passus sum ab hostibus evangelii, cum multis lachrymis, quas pro sollicitudine congregationis fudi, cum multis afflictionibus, quae mihi acciderunt ex insidiis Judaeorum, qui non patiuntur evangelii gratiam gentibus communicari, versatus sum in negotio evangelii. Et tamen nihil horum malo-*20* rum commovit animum meum, ut territus afflictionibus quidquam omiserim, quod pertineret ad vestram salutem, aut quidquam esset in rem vestram, quod non cum periculo mei capitis indicarem vobis, ac docerem vos, tum publice in synagogis, tum privatim ac domestice, utcumque sese dabat oportunitas, non*21* ptaedicans vobis, id quod Judaei volebant, circumcisions, sabbatismos et lotiones, sed poenitentiam vitae superioris, quam Deus requirit ab omnibus, ut salutem det omnibus, et fiduciam erga dominum no-

M 2



strum Iesum, cuius evangelio quisquis credit, salvus erit, sive Judaeus sit, sive Graecus, sive circumcisus, sive incircumcisus. Et ideo gratiam omnibus oblatam, omnibus promiscue praedicavi, non habito personae delectu: nec deterritus Judaeorum odio, qui studio legis oppugnant evangelium, nec saevitia gentium quae, superstitionema maioribus traditam tuentur. Nam si quid afflictionis hic incidit mihi, magis me commovit congregationalis periculum, ne quis offensus meis malis alienaretur ab evangelio, quam ignominia aut dolor mihi inflictus. Quod si quando subduxerit me periculis, vestro animo morem gessi, vestris commodis consului potius, quam **22** meae incolumitati. Nec me poenitet huius animi. **23** Quin et nunc, tametsi corpore liber, tamen spiritu iam alligatus, proficiscor Hierosolymam, in qua quae res mihi sint obventurae, nondum liquido cognovi, nisi quod spiritus in singulis civitatibus, tum per ora prophetarum, tum in meipso praedicit, futurum ut **24** vinciar et affligar. Id quum sciam et credam, tamen nihil harum rerum me deterret, quo minus fungar apostolico munere, etiamsi mors sit appetenda. Neque enim haec mihi vita mea cara est, quae Christo proteetore perire non potest, sed vita carius est, ut domini iussis obediam, utque cursum hunc evangelicae praedicationis, quemadmodum hactenus alacriter sustinui, consummam cum gaudio. Gaudium est ingens animo meo, si per meas afflictiones crescit evangelii provenitus. Nihil enim aliud mihi cordi est, nisi ut in studio evangelico, in quod me dominus induxit, semper progrediar, donec ad metam pervenero, securus de praemio, quod suo tempore pro suo arbitratu repensurus est agonotheta, qui non potest fallere. Non ingessi memet huic muneri, sed dominus Iesus hoc mihi delegavit, ut Judaeis ac gentibus praedicem laetissimum nuntium, per fidem evangelicam Deo viatum esse salutem gratis dare omnibus. Hanc functionem volens ac lubens obeo, sive vivere contingat sive mori.



Quamdiu licuit adesse vobis, praesens consului vestrae saluti, docens, admonens, exhortans, consolans, increpans, subinde revisens. Nunc autem scio²⁵ spiritus instinctu, quod posthac non estis visuri faciem meam, nec vos Ephesii, nec caeteri omnes, qui minorum Asiam incolitis, ad quos deveni praedicans regnum Dei. Quod mei munera erat, sedulo bonaque fide praestiti. Quapropter nunc digressurus a vobis²⁶ absque spe redditus, illud (*) vos hodie contestor, quod si quis perierit sua aut aliorum culpa, ego sum purus a sanguine omnium. Ostendi cunctis veram viam, qua pervenire licet ad vitam aeternam. Aperiui²⁷ vobis omne consilium Dei, et quomodo placeat illi servari genus humanum, et quid praestandum sit his, qui persistenter in fiducia sincera erga dominum Iesum, ne quis ignorantiam valeat praetexere. Exemplum ex me praebui, nihil non et faciens, et patiens, ut omnes perseveretis in evangelii sinceritate. Nullius mors mihi poterit imputari. Neque nunc mea sponte divellor a vobis, aut metu persequutionum memet subduco, sed ita volente spiritu Christi, prudens ac sciens in certum vitae discrimen proficiscor. Quod igitur mea²⁸ praesentia vobis praestare non poterit, id vestra diligentia penset oportet. Videte ne vobis ipsi desitis, neve ab his, quae bene coepistis relabamini, sed vos, qui seniores estis, quibusque curam multitudinis commendavi, vigilate, tum vobis ipsis, ne corrumpamini per insinceros apostolos, tum toti gregi, quem passendum suscepistis. Ego summa sinceritate perfundus sum meo munere, quod a domino delegatum erat. Vos item simili studio similiique integritate curam agite gregis, cui vos spiritus sanctus praefecit episcopos, hoc est inspectores, ut curetis, ne quid salutaris pubuli desit ovibus Iesu Christi, utque non lupos, sed veros pastores agatis erga congregationem Dei, quae vo-

M 3

(*) Alia: apud vos.



bis oscitanter curanda non est, ut quam Deus adeo caram habuerit, ut unigeniti sui sanguine sibi eam paraverit. Non est igitur committendum, ut merx tam
29 care emta Deo, vestra pereat negligentia. Non haec sine causa tam sollicite moneo. Scio enim quod non semper habebitis Paulos, sed post abitum meum, velut in caulas a pastore destitutas, ingerent se in vos lupi graves, qui non parcent gregi, sed omnia molientur, ut dissident congregationem vestram. Hic periculum erit, ne qui sunt imbecilles fracti malis recedant ab evangelio, sed imminet aliud periculum multo maius.
30 Non solum aliunde venient, qui terroribus ac minis, qui callidis persuasionibus, qui fucata specie sanctimoniae conabuntur corrumpere sinceritatem vestram, ac labefactare libertatem, quam habetis per evangelium Iesu Christi, verum etiam ex vobis ipsis exorientur viri, qui prodita vestra concordia loquentur perversa, et a rectitudine veritatis evangelicae discrepantia, non hoc agentes, ut Iesu Christo grex suus sit in columnis, sed ut ipsi discipulos abducant post se, quo videantur aliquid esse, nimirum metuentes, ne parum egregii doctores videantur, si nihil doceant novi. At qui perversa novitas est, quum homines addunt evangelio, quod sibi sufficit. Qui verus est pastor, Christi discipulos esse mavult, quam ipsius, et ab eo pabulum sumit, quo pascat illos. Ipsi ob gloriam et quaestum ex Christi discipulis, suos faciunt, et autores esse volunt evangelicae doctrinae, cuius nos revera nihil aliud sumus quam dispensatores. Quo plus imminet periculi, hoc attentius vigilate, memores quod per triennium quum agerem in Asia, noctu dieque non cessarim admonere cum lachrymis unumquemque
31 vestrum. Quod supereft fratres, nunc quoniam avello a vobis, commando vos Deo, qui suum gregem non destituet, ac sermoni evangelico, in quo qui sincere veriantur, et Dei gratuitam erga cunctos homines



beneficentiam praedicant potius, quam legis iustitiam, opitulabitur favor divinus. Nos pro delegato munere fundamenta iecimus. Caeterum Deus, qui per nos agit haec omnia, potest superstruerē, ut quod coemptum est, ex ipsius voluntate perficiatur, et quemadmodum hactenus vobis contigit per evangelii professionem cooptari in numerum filiorum Dei, ita perleverantes in sancto proposito, perveniatis ad haereditatem promissam omnibus sanctificatis per Dei gratiam, sive ex Iudeis sicut, sive ex gentibus. Vidistis sollicitudinem 33 meam, vidistis labores meos, vidistis pericula mea, quae vestra causa suscepi, nihil interim praemii captans a vobis, nec honorem, nec lucrum, adeo ut, quod a caeteris fit apostolis, quodque iure meo poteram, ne necessaria quidem a vobis acceperim. Non aurum, non argentum, non vestem cuiusquam concupivi. Nam ut ipsi scitis, necessitatibus meis et comitum 34 meorum, manus hae, quod opus fuit, suppeditarunt. Peteram hoc a vobis sumere, non ignarus, operarium 35 esse dignum mercede sua, sed ego mercedem omnem malui exspectare a domino, et exemplum modis omnibus absolutum studui vobis exhibere, ut qui in gregis curam successistis, intelligatis, hoc esse boni pastoris officium, ut quum nullum defugiat laborem in comprehendendis gregis commodis, tamen ob infirmos abstineat ab omni mercede humana, ne quis ob hoc alienior sit ab evangelio, quod evangelistam suum cogatur alere, aut ideo minus obtemperet monitis pastorum, quod existimet eos sibi ob accepta beneficia factos obnoxios. Sic enim est hominum ingenium, ut nescio quomodo minoris faciant eos, in quos beneficium contulerunt. Quamquam autem aequum est, ut qui vobis evangelicas opes impariunt, his vicissim de longe vilioribus opibus subveniatis, tamen ego sciens inter vos multos esse imbecilles, nullam cuiquam volui dare peius de nobis sentiendi occasioem. Hoc exemplum meum

M 4



studere pro viribus aemulari, simulque memineritis,
quod dixit dominus Iesus: *Beatus est dare, quam*
36 *accipere.* *Haec loquutus Paulus, flexis genibus pre-*
37 *catus est ex more cum omnibus illis.* Fletus autem
omnium ingens coortus est, adeo ut effusi in collum
illius, oscularentur eum, velut avide copiam rapientes
38 *mox avellendi.* *Discruciabat enim animos omnium*
verbum hoc, quod dixerat Paulus, illos non amplius
vifuros faciem ipsius. His peractis, euntem ad na-
vem officii gratia deducebant, oculis etiam quoad li-
cuit prosequentes navigantem.

CAPUT XXI.

Quum autem illinc solvissimus, iamque spatio lon-
giore diulsi essemus ab illis e littore prospectantibus,
recto cursu pervenimus ad insulam Coum, postridie
Rhodum, atque inde Patara maritimam Lyciae civita-
tem. Illic nocti nayim, quae solveret in Phoenicem,
3 ea consensa navigavimus. Ubi vero coepit nobis ap-
parere Cyprus insula, relicta ea ad laevam, cursum
instituimus in Syriam, et appulimus Tyrum, quae
civitas est in littore Phoenices, quemadmodum et Si-
don. Nos quidem malueramus recta in Palaestinam,
sed quoniām Tyrus emporium est, hic nautae erat ex-
ponendum onus. Porro quum et illuc reperissimus
4 discipulos, mansimus apud illos dies septem. Hic
erant, qui afflati propheticō spiritu, Paulo dissuade-
5 rent, ne proficeretur Hierosolymam. At nihil se-
cius, expletis septem diebus, coepimus a Tyro profi-
cisci, discipulis omnibus una cum liberis et uxoribus
6 deducentibus nos extra civitatem usque ad littus. Hic
quum flexis genibus simul orassimus, moxque invicem
dixissimus vale, nos navem concendimus, illi redie-
7 runt ad sua. Inde navigatione explicita a Tyro, ye-



nimus Ptolemaidem. Ea civitas occurrit in littore vicina monti Carmelo. *Hic salutatis fratribus, man-*
simus diem unum apud illos. Postero vero die profe-
di nos, qui Paulum comitabamur, una cum ipso 8
pervenimus Caesaream Palaestinae, ac devenimus in
aedes Philippi, qui primus eunicho et Samaritanis
praedicarat evangelium, unus e septem diaconis, quos
Hierosolymis instituerant apostoli. Apud hunc com-
morati sumus. Huic erant filiae quatuor adhuc in- 9
nuptae, quae pollebant spiritu propheticō, iuxta pro-
phetiam Iοelis. Quum igitur huius hospitio diebus 10
aliquot uteremur, supervenit quidam a Iudea pro-
pheta, nomine Agabus. Is quum divertisset ad nos, 11
tulit zonam Pauli, qua quum ipse sibi pedes alligasset,
ex veterum prophetarum more, qui solent signo quo-
piam representare, quod praedicunt, dixit afflatus
spiritu: Haec ait spiritus sanctus, virum, cuius est cin-
gulum hoc, sic alligabunt Hierosolymis Iudei, tra-
dentque in manus gentium. Hoc sermone territi, tum 12
nos, qui Paulo veneramus comites, tum eius loci di-
scipuli, multis cum lachrymis rogabamus eum, ne se
committeret Hierosolymae. Hic erat pius affectus, no-
lentium perire tam eximum pastorem. Paulus autem, 13
cui certius oraculum spiritus sanctus ediderat in pecto-
re, ut iret Hierosolymam, postea visurus Romam, ait
illis: Cur inanibus lachrymis vestris affilitis cor
meum? Neque enim me movet periculum, quod de-
nuntiant prophetae, sed vester moeror moerorem con-
ciliat animo meo. Certum est persequi, quod ad evan-
gelii profectum fieri vult spiritus. Neque me territant
vincula, iam istorum malorum nequaquam rudem.
Tantum enim abest, ut metu vinculorum sim desertu-
rus negotium evangelicum, ut mori quoque paratus
sim Hierosolymis pro nomine domini Iesu. Vinciatur
Paulus, modo libere discurrat evangelii sermo. Oc-
cidatur Paulus, modo vivat apud omnes vigeatque glo-

M 5



zia nominis Iesu. Quod vitam opto, non ob aliud
opto, nisi ut pro sim evangelio. Alioqui mihi lucrum
fuerit, pro Christi nomine cito finire vitam hanc. Pro-
inde vos nolite deplorare, quod mihi etiam optabile
est, si velit Deus, vestrisque fletibus definite moerore
afficere animum meum, qui non possum non dolere
14 cum dolentibus amicis. Ad haec quum non habere-
mus, quod responderemus, videremusque illi certum
esse decretum, ut pergeret Hierosolymam, passi sumus
illum abire, dicentes: *Fiat voluntas domini.* Nam
haec est vox vere christianorum, quam omnibus, etiam si
non sit in ore, tamen oportet semper esse in animo,
quidquid imminet seu laetae rei, seu tristis: *Fiat vo-
luntas domini.* Itaque dies aliquot commorati Cae-
sareae, parabamus nos itineri, ut iremus Hierosoly-
16 mām. Comitati sunt autem Paulum una nobiscum e
civitate Caesarea quidam e discipulis, secum ducentes
Mnasonem quemdam Cyprium, cuius hospitio Hiero-
solymis uteremur. Erat enim ille vir spectatae pietatis,
ut qui iam olim credidisset evangelio, diuque per-
17 stitisset in sinceritate fidei. Quum autem pervenisse-
mus Hierosolymam, libenter et alacriter exceperunt
18 nos fratres. Postridie Paulus, nobis ipsum comitan-
tibus, adiit aedes Iacobi Iusti, qui dictus est frater
domini. Nam hic ab apostolis institutus fuerat epi-
19 scopus Hierosolymorum. Eodem conyenerunt omnes
20 seniores. Quos omnes quum salutasset Paulus, refe-
rebat illis ordine, quae Deus per ipsius ministerium
gessisset inter gentes, inter quas iam aliquot annis pre-
dicarat evangelium. Haec illi quum audissent, glo-
rificabant dominum, qui gratiam suam effudisset et
iam in gentes. Caeterum quoniam Paulus apud mul-
tos Judaeos delatus erat, quod osor esset legis mosai-
cae, sic praedicans evangelii gratiam, ut minus quam
oporteret tribueret legis observationi, quo huic etiam
incommodo mederentur, dixerunt: *Vides, frater*



Paule, quot sint hic millia Judaeorum, qui crediderunt evangelio, atque hi omnes magno legis studio tenentur. Rumor autem ad hos perlatus est, quem nos²¹ scimus esse vanum, quod Judaeos, qui sunt apud gentes, doceas desciscere a Mose, sic ut nec circumcidant filios suos, neque servent instituta maiorum in delectu ciborum, in sabbatis, in lotionibus, caeterisque, quae Judaei hi, qui gentibus admixti non sunt, magna religione servant. Hi utcumque ferunt maiorum decreto coerciti, gentes non onerari iugo legis. Caeterum Judaeos natos ab observatione legis ad ritus gentium abduci, non ferunt. Nunc itaque videndum est, ne quid hinc tumultus exoriatur. Quid igitur faciem²²? Primum illud dissimulari non potest, quin convocetur multitudo. Audient enim te venisse. Ut igitur²³ tur te liberes hac suspicione, sequere consilium nostrum. Sunt nobis viri quatuor, qui iuxta consuetudinem Judaeorum obligarunt se voto, hos tibi adiunge, simulque cum illis expleas ritus solennes, iis qui se post votum sacrificari curant, et si quid praeterea impendendum in hostias aut donaria, impende una cum illis, donec raserint capita sua Ita fiet, ut omnes sciant esse vana, quae de te iactavit rumor, sed intelligent, te quoque sic praedicare gratiam evangelii, ut non damnes eos, qui ritus legis a Deo traditae, maiorumque consuetudinem observant, quum conspexerint eadem abs te fieri, quae quidam iactarant abs te dannari. Hac ratione corripescetur murmur Judaeorum, qui plures sunt, quam ut non sit illorum habenda ratio. Caeterum de his, qui crediderunt ex gentibus,²⁵ nos iampridem scripsimus ex decreto apostolorum ac multitudinis, ne cogerentur ad observationem legis mosaicae, tantum abstinerent ab his, quae immolantur simulachris, a sanguine, a suffocato, et scortatione. Paulus autem obtemperans Iacobi ac fratum²⁶ confilio, adiunctis sibi quatuor illis viris, qui se vo-



to obstrinxerant, purificatus est una cum illis, et ingressus templum, professus est dies purificationis expletos esse, neque quidquam omisit ceremoniarum, donec ex more offerretur pro uno quoque illorum oblatione. Totum hoc septem diebus erat peragendum. Quibus iam pene expletis, Judaei quidam increduli, qui viderant illum in Asia, quique tumultum illic excitaverant, ubi conspexissent Paulum in templo, concitarunt totum populum, et iniecerunt manus in 28 Paulum, clamantes: *Viri Israëlitae succurrite. Hic est vir ille, de quo rumore cognovistis, qui peragrans omnes regiones, ubique docet novam doctrinam adversus hunc populum Deo peculiarem, adversus legem a Deo traditam, adversus hoc templum toti orbi religiosum.* Nec hoc huius impietati tatis erat, insuper et Graecos homines, atque incircumcisos induxit in templum, et contaminavit locum hunc sanctum. Videbant enim Trophimum Ephesium in comitatu Pauli, quem esset in civitate, atque hinc coniebat, quod 30 Paulus hunc induxisset in templum. Ad hunc tumultum commota est tota civitas, factusque est populi concursus. Ac Paulum apprehensum protraxerunt e templo, velut obiciendum furenti populo, moxque clausae sunt fores templi, ne esset quo se in tutum recipieret. Quaerebant enim eum occidere. Id in templo facere religio erat, quasi usquam non sit impium, innocentem interficere. Interea nuntiatum est tribuno cohortis, quod tota civitas Hierosolyma tumultuaretur. Qui statim, adiunctis sibi militibus ac centurionibus, decurrit ad illos. Judaei vero posteaquam viderunt tribunum cum militibus accurrentem, destituti percutere Paulum. Tribunus itaque quum venisset proprius, iussit apprehendi Paulum, ac vinciri catenis duabus, suspicans eum esse maleficum quempiam, in quem sic saeviret multitudo. Eo facto, tribunus interrogabat Judaeos, quisnam esset, et quid



admisisset? Quum autem ob tumultum, aliunde aliud 34
 vociferantis turbae, non posset certum cognoscere,
 quod volebat, iussit Paulum, ut erat vincitus, duci in
 castra, ut intra praefidii septa posset, exclusa turba,
 rei veritatem intelligere. Quumque iam ventum esset 35
 ad gradus castrorum, Paulus a militibus portabatur ob
 turbae violentiam. Metuebant enim, ne vim adfer-
 rent illi, priusquam veniret in castra. Etenim ad ipsos 36
 usque gradus sequebatur populi multitudo, clamans ac
 vociferans: Tollite istum de medio. Ubi vero iam 37
 ventum esset ad ingressum praefidii, Paulus, cupiens
 satisfacere tumultuantibus Judaeis, dicit tribuno: Per-
 mittisne mihi, ut loquar tibi? Tum tribunus: Grae-
 ce nosti? Nam id grecce dixerat Paulus: Nonne tu es, 38
 inquit, Aegyptius ille, qui antehac quoque tumul-
 tum concitasti, atque hinc eduxeras in desertum qua-
 tuor millia virorum sicariorum? Ad haec Paulus:
 Non sum is quem tu putas, sed sum homo genere Ju- 39
 daeus, patria mihi est Tarsus, Ciliciae non obscura
 civitas. Verum illud interim te rogo, permitte mi-
 hi verba facere ad populum. Id quum ille permisisset, 40
 Paulus, stans in gradibus, manu mota significabat
 populo, se velle loqui. Moxque magno facto silen-
 tio, sic loqui coepit lingua hebraica.

CAPUT XXII.

Viri, quotquot hic adestis, vel genere fratres, vel 1
 aetate dignitateque patres, praebete mihi vos attentos,
 dum me vobis purgo super his, de quibus apud vos
 falso delatus sum. Haec praefato Paulo, multitudo 2
 quum audiret, quod hebraice loqueretur, magis etiam
 praestitit silentium, sive quod hanc linguam intellige-
 bant omnes, sive quod suae quisque linguae magis fa-
 vet. Tum Paulus ita pergit dicere, Ut intelligatis, 3



me nec adversus populum Judaeorum, nec adversus legem Mosi, nec adversus templum quidquam impie fecisse, ego sum homo Judaeus, ex Judaeis natus Tar-
si Ciliciae. Caeterum educatus in hac civitate, ad pedes, vobis non ignoti viri, Gamalielis, diligenter institutus a primis annis in patria lege, magno studio
4 deditus isti cultui veri Dei, quem vos quoque omnes servatis hodie, adeo ut amore legis hanc evangelicam viam, quam nunc profiteor, persequerer, non solum usque ad carceres et vincula, verum etiam usque ad mortem, nihil aliud spirans, quam minas ac caedes adversus evangelii professores,vinciens et in carceres
5 pertrahens, tum viros, tum mulieres. Haec ita se habere, mihi testis est is, qui tum erat summus sacerdos, simulque cum eo totus seniorum ordo, a quibus acceptis literis ad Judaeos, proficisciabar Damascum, ut inde vinctos adducerem Hierosolymam, qui Christi nomen profiterentur, ut ex arbitrio sacerdotum ac seniorum punirentur. Hoc animo tum eram in illos, non ob aliud quam ob studium legis, ac religionis a maioribus traditae, qua de causa vos quoque nunc in
6 me saevitis. Nunc quae res verterit animum meum, accipite. Id ubi cognoveritis, fortasse vos quoque vertetis istum vestrum animum. Accidit enim, ut dum eo proficisciwerer, iamque non procul abesse a civitate Damasco, circiter meridianum diei tempus, subito e coelo circumfulserit me lux ingens, qua percussus
7 decidi in terram, et audivi vocem de coelo dicentem
8 mihi: Saule, Saule quid me persequeris? Cui quum respondissem: Quis es domine? rursum audivi: Ego
9 sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Porro qui mecum erant comites eius viae, lucem quidem vi- derant, atque expavesci sunt, vocem autem mecum
10 loquentis non audiebant. Tum ego: Quid vis ut faciam domine? Dominus autem ita retulit: Surge ac
vade Damascum. Ibi tibi de singulis praescribetur,



quid tibi sit faciendum. Quumque haberem oculos lucis illius claritate sic perstrictos, ut nihil omnino viderem, manu ductus a comitibus peryeni Damascum. Illic Ananias quidam vir pius ac religiosus observatio-¹¹ ne legis, et omnium, qui Damasci versantur, Ju-
 daeorum testimonio probatus, venit ad me, et ad-¹²
 stans mihi dixit: Saule frater recipe visum. Ego ve-
 ro protinus recepto visu vidi illum. Tum ille: Deus¹³
 patrum nostrorum in hoc delegit, ac praeparavit te,
 ut cognosceres ipsius voluntatem, et videres iustum il-
 lum unicum omnia iustificantem, et audires vocem ex
 ore eius. Iesus enim erat in illa luce, quae perstrinxit oculos tuos, et eiusdem vox erat, quam audiebas, quo-
 niam eris illi testis apud omnes homines eorum, quae
 vidisti et audisti. Et nunc posteaquam ita visum est¹⁶
 Deo, quid cunctaris? Surge et baptizare, et ablue
 peccata tua invocato nomine eius, quem persequebaris.
 Quum his actis Damasci, post aliquantulum temporis¹⁷
 reversus essem Hierosolymam, iam factus alias, et
 orarem in templo, raptus sum extra me, ac vidi Ie-
 sum dicentem mihi: Festina, ac velociter exi Hiero-¹⁸
 solymis, quoniam hic non recipient testimonium tuum
 de me. Tum ego hunc in modum respondi: Domine,¹⁹
 mihi bona quaedam spes est, futurum ut proficiam
 apud hos, propterea quod ipsi sciunt, quod antehac
 studio legis saevierim in discipulos tuos, quoscumque
 possem pertrahens in carcerem, ac virgis caedens in fin-
 gulis synagogis, eos qui crediderant evangelio tuo.
 Nec his contentus eram. Quin etiam quum fundere-²⁰
 tur sanguis Stephani, qui suo sanguine fidele testimo-
 nium constanter perhibuit tibi, ego quoque adsiste-
 bam lapidantibus, consentiens in mortem innocentis,
 adeo ut servarim vestimenta illorum, qui illum detule-
 rant, quique primi lapides in illum iacere coeperunt.
 Ex his quum intelligent omnes, quanto legis studio fer-
 buerim aliquando, facile perspicientes (*) me non temere

(*) Aliae: perspiciente



mutatum esse, multique reperientur, qui meum exemplum hoc libentius imitabuntur, quo maiori zelo pri-
21 stinae religionis saevii in tuos. Haec ubi dixisse, re-
spondit dominus: Vade, inquam, mihi obtempe-
ra, quoniam iam tempus adest, ut evangelium meum
per universum orbem incipiat propagari. In hoc te
delegi, ut mittam hinc ad gentes procul semotas.
22 Hactenus Judaei tulerant Paulum dicentem, usque ad
hoc verbum, ad gentes longe dissipatas mittam te. Hoc
dictum refricuit dolorem omnium, propterea quod Ju-
daei miro quodam odio gentes abominentur, eoque
plerique etiam ex his, qui non adspernabantur evan-
gelium, volebant gentes omnino submoveri ab evange-
lii gratia: aut si admitterentur, non admitterentur,
nisi circumcisi, quasi purus Deoque gratus esse non
possit, nisi qui Judeus esset. Itaque quum audirent
gentes praelatas Hierosolymitanis, magnis clamoribus
interruperunt vocem loquentis Pauli, dicentes tribu-
no: *Tolle de terra virum istum, quoniam non est fas*
23 *eum vivere.* Quumque Judaei multis indicis declara-
rent impotentem animi dolorem, vociferantes ac pro-
iicientes vestimenta sua, denique pulverem iactantes in
24 aëra, tribunus suspicans aliquod indignum esse facinus
admissum, ob quod totus populus sic novo more tu-
multuaretur, praesertim quum data loquendi facultate,
nihil esset profectum nisi in peius, iussit militibus suis,
ut Paulum inducerent in castra, ac flagris eum exami-
narent, quo vel ex ipso ex tunderent, quamobrem
25 populus sic vociferaretur adversus illum. Quumque
iam iussu tribuni loris adstringeretur inox caedendus
Paulus, dixit centurioni sibi adstanti, cui negotium
erat delegatum, ut praeesset quaestioni: *Quid, an*
yobis ius est hominem romanum, et indemnatum fla-
26 *gris caedere?* Quod simulatque audivit centurio, cele-
riter adiit tribunum, renuntians illi, quod audierat di-
cens: *Quam rem paras?* Nam hic homo, quem iussisti
caedi



caedi virgis, civis romanus est. Hoc audito tribunus²⁷ ipse venit ad Paulum, et ait illi: Dic mihi num verum est, quod centurio mihi nuntiat? *An civis es romanus?* Quumque Paulus affirmasset, esse se civem romani, tribunus respondit: Rem magnam narras. Nam²⁸ ego magna pecuniae summa mihi comparavi, ut civis esset romanus. Tum Paulus: Hac quidem in parte mea potior est conditio, qui *civis romanus natus sum, iure civitatis a parentibus ad me profecto.* Protinus²⁹ igitur discesserunt a Paulo, qui paraverant illum tormentis examinare. Quin et tribunus ipse sibi metuit, ubi resciavit eum civem esse romanum, eo quod loris aligasset eum. Tantus tum erat apud omnes terror romani nominis. Postridie vero cupiens certo cognoscere,³⁰ quam ob causam accusaretur a Judaeis, solvit illum a vinculis, iussitque convenire primores sacerdotum et universum concilium, ac deducendum Paulum stebat coram illis, ut absque tumultu populi, res per principes ageretur.

CAPUT XXIII.

Hic Paulus intentis in concilium oculis, sic verba facere coepit: Viri fratres, ego in omnibus sincera conscientia versatus sum, usque in hodiernum diem, in conspectu Dei, qui solus recte iudicat. Summus autem sacerdos Ananias, quem audisset tam confidens, tamque liberum prooemium, quo statim absolvit se ipsum, iudice caeterisque a quibus deferebatur damnatis, indigneque ferens, quod nihil honoris praefatus esset iphi, nec ullam rei speciem prae se ferret, praecipit adstantibus, ut percuterent os dicentis. Nimirum hoc erat, quod Paulo praedixerat dominus: Non recipient testimonium tuum de me. Ad hanc contumeliam, quae nec in ethnicorum iudiciis fieri solet,

Tom. III.

N



Paulus indignatus spiritu, poenamque denuntians a
Deo post adfuturam tam manifestae tyrannidis, dixit:
Percutiet te Deus, paries dealbate. Itane tu sedes, ut
cognita causa iudices me secundum legem, et contra
legem nondum audita causa iubes me caedi, quae vetat
4 quemquam punire, nisi legitime condemnatum? *Hic*
qui adstabant, dicebant Paulo: *Itane summo sacerdoti*
Dei maledicis? Eo tyrannidis tum venerat Judaeorum
sacerdotium, ut postularent sibi licere contra ius fasque
cuivis malfacere, nec liberam aliorum linguam pate-
rentur. Nimirum hoc erat argumentum sacerdotii mox
abolendi, posteaquam ad summum malitiae venerat.
5 Tum Paulus, videns se nihil acturum sub tali iudice,
tantum occasionem quaerendam putavit, ut ille con-
ventus dissolveretur. Itaque respondit: *Nesciebam*
fratres, quod esset summus sacerdos. Alioqui scio
scriptum esse in libro exodi: *Principi populi tui non*
6 *maledices.* Hoc dicto quum utcumque placasset admo-
nitores, quaesita est ansa, qua tumultum ab ipso aver-
teret. Licet enim arte vitare periculum, quum non
apparet fructus. Quum itaque Paulus sciret concilium
illud constare e sectis duabus, quarum altera erat sad-
ducaeorum, altera phariseorum, quorum alteri ab
alteris dissidebant, voce clara dixit in concilio, ut ab
omnibus posset exaudiri: *Viri fratres, ego pharisaeus*
7 *sum, et pharisei filius, et ob praedicatam mortuo-*
rum resurrectionem iudicor. Haec ubi dixisset, orta
est dissensio inter phariseos et sadducaeos, atque his
dissentientibus scinditur et multitudine, quae aderat, in
8 diversa studia. Nam sadducae quoniam credunt ani-
mas una cum corporibus interire, neque probant re-
surrectionem, neque putant esse spiritum ullum aut an-
gelum, pharisei contra et resurrectionem credunt, et
9 angelos ac spiritus esse asserunt. Coepit igitur multi-
tudo magno clamore tumultuari. Interim surrexerunt
scribae quidam ex fatione phariseorum, atque in



Pauli favorem depugnabant, dicentes: *Nihil mali comperimus in hoc homine. Quod si spiritus aut angelus ei loquutus est, non est nostrum pugnare cum Deo.* Hoc idcirco dicebant, quia Paulus pridie narraverat sibi per visum apparuisse dominum in templo. Tantum in praetudiciis valet huius aut illius esse factio-
nis. Quumque contra vociferantibus sadducaeis iam ¹⁰ incaluisset dissensio, resque videretur ad extremum tu-
multum spectare, tribunus metuens, ne *Paulus di- scerperetur ab illis, iussit milites descendere, qui rap- perent Paulum e medio eorum, ac reducerent in ca- stra.* Jam tempus erat, ut Deus athletam suum inter ¹¹ tam saevos tumultus, praelertim quum instarent etiam saeviores, aliqua consolatione sublevaret. Itaque no-
cte proxima rursus adstitit ei dominus dicens: *Forti animo esto, Paule.* Hi tumultus non absorbebunt te, nondum enim instat tempus mortis tuae, sed supereft, ut quemadmodum Hierosolymis fortiter mihi *praebui- sti testimonium, ita testificeris et Romae.* In urbe, quae caput est Judaeae, functus es officio tuo, restat ut et id facias Romae, quae caput est mundi. Caeterum ¹² ubi iam diluxisset, conspirarunt inter se quidam Ju-
daei, ac diris devoverunt sese, si prius sumissent ci-
bum, aut potum, quam Paulum interfecissent. Tan-
tum odium in eum conceperant. Nec erant pauci nu-
mero, qui coniurationem hanc fecerant, sed erant plures quadraginta. Hi adierunt summos sacerdotes ¹⁴ ac seniores, eisque exposuerunt animum ac propositum suum, dicentes: *Arctissima devotione devovimus nos ipsos, si quidquam gustemus cibi potusve, priusquam occidamus Paulum.* Nunc oportet vos huic animo ¹⁵ nostro subservire, quo facilius fiat, quod factum esse volumus omnes. Et vestro et concilii nomine signi-
ficate tribuno, ut rursus sistat apud vos Paulum, hoc praetexentes, quasi velitis aliquid certius de eo co-
gnoscere, quod heri per tumultum non licuit. Nos

N 2



vero non committemus, ut incolumis redeat in castra,
quemadmodum heri, sed priusquam accedat ad locum
16 concilii, parati sumus illum interficere. Has tam ca-
pitales infidias quum audisset adolescens quidam, Pau-
li ex sorore nepos, non putabat amplius dormitandum,
sed protinus ingressus castra, nuntiavit Paulo, quod
17 erat prae manibus. Eo cognito, Paulus vocato ad se
cuidam e centurionibus ait: Adolescentem hunc per-
18 duc ad tribunum, habet enim quod illi significet. Cen-
turio, sicut erat iuslus, assumptum adolescentem per-
duxit ad tribunum, dicens: Paulus ille vincitus roga-
vit me, ut hunc adolescentem adducerem ad te, quod
diceret illi esse quiddam, quod tecum vellet loqui.
19 Tribunus autem amplexus manum adolescentis, seces-
sit cum eo seorsum, ac percunctatus est illum, dicens:
20 Quid habes, quod volebas significare mihi? Tum ille:
Judaei coniurati in necem Pauli, hoc inter se statue-
runt, ut rogent te, quo crastino die rursus adductum
Paulum sisti iubeas in concilio, illud praetexturi, qua-
si cupiant aliquid de eo investigare, quod heri non po-
21 tuerunt liquido cognoscere. Caeterum aliud agunt.
Quare tu cave, ne postulationi illorum obsequaris im-
prudens. Nam destinatis animis moliuntur infidias
capiti Pauli, viri plus quam quadraginta, qui se diris
devotionibus obstrinxerunt, si vel ederint vel biberint
quidquam, priusquam interficiant illum. Et iam
nunc ad hoc facinus parati sunt, exspectantes quid tu
22 promissurus sis. Tribunus his auditis dimisit ado-
lescentem, prasciopiens illi, ne quis ex ipso sciret, quod
haec indicasset tribuno. Sic enim cupiebat consulere
vitae Pauli, ut tamen vitaret invidiam Judaeorum.
23 Itaque vocatis ad se duobus centurionibus, dixit:
Parate milites ducentos, cumque his equites septuagin-
ta, et lancearios ducentos, ut eant Caesaream statim
ab hora noctis tertia, simulque parate iumenta, ut his
impositum Paulum salvum deducant ad Felicem prae-



fidem. Hac tanta diligentia non ob id tantum usus est²⁴ tribunus, ut unius hominis vitae consuleret; nec enim erat usque adeo religiosus, sed absolvi cupiebat a Paulo, quem neque tueri poterat adversus tam obstinatum odium totius concilii, nec audebat illorum odiis dedere civem romanum. Atque ideo noctu iussit eum educi magna manu militum, metuens ne si interdiu, aut paucis comitatus exisset, Judaei in itinere raperent eum et interficerent, atque hinc deinde calumnia recideret in ipsum, qui prodidisset civem romanum. Ad-²⁵ didit autem et epistolium ad Felicem in hanc senten-
tiam: *Claudius Lysias optimo praefidi Felici salutem.*²⁶ Virum hunc comprehensum a Judaeis, quum esset iam²⁷ interficiendus ab illis, superveniens cum exercitu eripui, cognito quod civis esset romanus. Cupiens au-²⁸ tem scire causam quamobrem accusarent illum, deduxi illum in concilium illorum. Quem comperi nihil²⁹ habere criminis, quod vel morte dignum esset, vel vin-
culis, sed tantum obiici quaedam de quaestionibus le-
gis iudaicae. Mox ubi mihi fuisse indicatum de in-³⁰ fidiis, quas illi paraverant Judaei, protinus misi eum ad te, simulque denuntiavi Judaeis, qui accusant eum, ut si quid haberent quod illi obiificant, dicant apud te. Vale. Milites vero iuxta tribuni iussum, Paulum in³¹ suam tutelam receptum, noctu perduxerunt Antipa-
trida. Postero vero die quoniam non longe aberat³² Caesarea, iamque minus periculi videbatur, milites re-
dierunt Hierosolymam in castra, equites comitati sunt Paulum Caesaream usque. Quo quum venissent,³³ ac reddidissent epistolam praefidi, simul et Paulum statuerunt coram eo. Porro praeses literis perlectis,³⁴ percunctatus est Paulum, cuius esset provinciae. Cognito vero quod Cilix esset: Audiam, inquit, te,³⁵ quum accusatores tui venerint. Iussitque ut servare-
tur in praetorio Herodis.

CAPUT XXIV.

Post dies autem quinque Caesaream descendit Ananias sacerdotum princeps cum senioribus aliquot, una cum oratore Tertullo, qui causam ageret. Adeo tenebat illos obstinata quaedam cupiditas occidendi Paulum. Hi quum adissent praesidem, flagitantes exhibe-
2 ri reum, Felix iussit citari Paulum ac fisti. Ibi Ter-
tullus, malae causae non optimus patronus, hunc in
3 modum coepit accusare Paulum: Quum tibi debeamus, quod rebus admodum pacatis ac tranquillis iampridem fruimur, quumque et alia permulta feliciter ac recte gerantur in hoc populo, per tuam providentiam, nos tuam in nos beneficentiam et semper et ubique agno-
scimus ac praedicamus, praestantissime Felix, quanto-
que possumus studio gratias agimus. Atque ista tua dexteritas nobis certam spem facit, te et in hac causa, quam nunc deferimus, nostrae gentis tranquillitati con-
4 culturum. Verum ne prolixiore prooemio te plurimis ac maximis negotiis occupatum remorer, oro te, ut
5 nos pro tua humanitate paucis audias. Comperimus hunc virum, pestiferum nostrae genti, propterea quod seditionem concitat inter Judaeos, non solum in Sy-
ria, verum etiam in omnibus totius mundi regionibus, quocumque Judaeorum natio dispersa est, dum se facit auctorem novae sectae, quae dicitur Nazarenorum.
6 Nec his contentus, ausus est venire Hierosolymam, et inductis in templum hominibus incircumcisitis, non ve-
ritus est profanare templum nostrum, quem in ipso fa-
cto comprehensum volebamus secundum legem nostram
7 iudicare. Verum superveniens Lysias tribunus cum ma-
gna militum vi, eripuit eum e manibus nostris, causae cognitionem ad te reiiciens, iubensque accusatores ad-
8 ire te. Proinde vel ex ipso tribuno poteris cognoscere, haec omnia sic habere, de quibus accusamus eum. Sic
9 orator ille non minus mendax quam frigidus. Judaei

vero, qui aderant accusationi, confirmabant rem ita se habere, ut narrabat Tertullus. Post haec ubi praeses¹⁰ innuisset Paulo, ut pro se diceret, sic defensionem suam exorsus est: Aequiore animo pro meipso causam dico, quum sciam te iam multos annos versatum in hac gente, et in cognoscendis Judaeorum causis non esse rudem. Quo nuperius actum est quod isti obiiciunt,¹¹ hoc certius potes cognoscere, quod non sunt nisi duodecim dies, ex quo pro more iudaicae religionis adscendi Hierosolymam, adoraturus, meque pro suscepto voto solenni ritu purificaturus. Hoc si est violare tempulum, crimen agnosco. Neque me compererunt in¹² templo cum quoquam disputantem, aut populi concussum facientem, ac ne in synagogis quidem, aut in civitatis ullo loco. Nec ullis idoneis argumentis pro¹³ bare possunt ea crimina, quae mihi obiiciunt. Quod autem obiiciunt de secta Nazarenorum, non inficias ibo quod verum est. Quamquam ea res nihil attinet¹⁴ ad accusatores, quando nec ea secta damnata est apud Judaeos, nec ego huius sectae sum princeps. Quod si tibi curae est cognoscere, quam sectam profitear, dicam. Ego iuxta institutum phariseorum, quam vocant sectam, colo patrum Deum, nequaquam auctor novae religionis, sed a maioribus traditae diligens observator, credens omnia vera, quae in lege et prophetis scripta sunt. Quae quum magna ex parte iam De¹⁵ us ita ut promiserat praestitit, certam spem habeo (*) illud futurum quod promisit, videlicet resurrecturos olim mortuos, iustos pariter ac iniustos, iustos ad immortalitatis gloriam, iniustos ad aeterna supplicia. Nec ista credo leviter, verum adeo penitus habeo persuasa, ut quoniam scio, me olim ad Dei tribunal fitendum, pro factis relaturum praemia, toto studio contendam, ne qua in re peccem adversus legem Dei, sed conscientiam habeam puram ac sinceram, non lo-

N 4

(*) Alia addit: cf.



Ium apud Deum, qui scrutator est cordium, verum etiam apud homines. Idque in hunc usque diem facio. Proinde non habent quod accusent in vita mea superiori, ut hinc demonstrent et haec, quae nunc obiciunt, in me probabiliter haerere. Multis enim annis sine criminis peractis, tandem veni Hierosolymam, exhibitus pecuniam in Asia collectam, ad sublevandam inopiam gentis meae. Si hoc est esse pestilentem, sublevare beneficio gentem meam, agnosco quod obiciunt. Atque interim, ne quid turbae nasci posset ab his, qui quaerebant occasionem, raso capite sum ingressus templum, ac solitis ritibus peregi purificationem, nihil admittens, unde quidquam vel turbae vel tumultus oriiri posset. Nihil enim a me novi factum est, sed iisdem ritibus usus sum, quibus tota gens utitur. Ceterum si quid tumultus tum est concitatum, per Asiaticos quosdam Judaeos concitatum est. Quos, quoniam huius negotii sunt auctores, oportebat in hac causa adesse, et accusare si quid haberent adversum me. Est autem malae conscientiae signum, quod se subducunt huic iudicio, posteaquam vident rem apud praesidem agi. Si quid admissum est, per illos potissimum poteram revinci, aut per illos poteram absolviri. Quamquam ego nullius accusationem metuo. Vel hi ipsi qui adsunt proferant, quandoquidem sto in concilio, si quid a me commissum deprehenderunt secus quam ius fasque est. Siquidem in legitimo iudicio licet et obiicere crimen reo, licet et reo suam causam agere. Verum non habent quod obiciant, nisi forte volent unicam illam vocem obiicere. Qua quum statrem inter illos exhibitus a tribuno, videremque nihil agi iure, sed manifestis odiis tendi in perniciem meam, clamavi pharisaicum esse me, et ob hoc reum agi apud illos, quod praedicarem resurrectionem mortuorum. Nam ad hanc vocem coeperunt ipsi inter se tumultari, donec tribunus eripuit me ex illorum manibus.



Quod verum erat professus sum, et aequum erat multitudinem scire, quamobrem periclitarer apud concilium, quandoquidem perspiciebam in primoribus nihil esse praesidii. Felix his auditis, quoniam exacte no²² verat sectam pharisaorum, quam Paulus profitebatur, voluit causam in aliud tempus differre, dixitque: Quoniam Lyfias totius negotii seriem pernovit, ubi ille ad nos venerit, audiam vos. Mandavitque centurioni, ut²³ interim haberet eum in custodia, sed mitiore, sic ut subinde daretur illi relaxatio, neque quisquam ex ipsius familiaribus vetaretur adire eum, aut subministrare, si quid opus esset. Post dies autem aliquam multos,²⁴ quum Felix venisset Caesaream cum Drusilla uxore sua, quae erat Judaea, accersivit Paulum, cupiens ab eo plenius edoceri de fœta, quam profiteretur. Ibi, quod Paulus ante dissimularat, aperit ei viam evangelicae salutis, quas non constat observatione legis, quemadmodum existimabant Judaei, sed fiducia erga Iesum Christum, quem Judaei tot seculis exspectatum crucifixerant, per baptismum autem aboleri semel omnia peccata vitae superioris, sic ut in illum renati, deinceps pure sancteque vivant iuxta regulam evangelicam, donec idem Iesus, qui ob salutem humani generis semet impenderat, rediret sublimis cum gloria patris, iudex vivorum et mortuorum. His de rebus quum²⁵ Paulus multa differeret de gratia fidei, de iustitia evangelica, de temperantia sobrietateque vitae spiritualis, de iudicio supremo, quod nemo possit effugere: Felix inhorruit, et haec tenus commotus est, non ut absolveret Paulum; metuebat enim Judaeos, quibus sciebat illum esse vehementer invisum, sed ut interim haberetur in humaniore custodia, donec sese daret occasio liberandi illum. Suberat et alia quaedam causa, quare differret absolutionem. Sperabat futurum, ut Pau²⁶ lus aliquam pecuniae summam numeraret, ac ipsi daret in manum pro liberatione sui. Atque hac de causa

N 5



frequenter accersebat Paulum ad colloquium, quo daret occasionem offerendae pecuniae, ut contracta familiaritas, perspectaque praefidis facilitas excuteret pudorem, quem suspicabatur obstare, quo minus audebat Paulus offerre pecuniam. Nam et Caesaram leges
 27 damnant iudicium pecunia redemptum. Interea dum Paulus biennium detinetur Caesareae, iusli Caesaris Neronis Felix succesorem accepit Portium Festum. Autum quidem erat occasio dimittendi Paulum. Caeterum nolens a provincia decedere, odio sui relicto, malensque gratificari Judaeis, quam ex sincera conscientia liberare innocentem, reliquit Paulum vincitum. Adeo difficile est magnatibus huius mundi, quod retum est ubique sequi.

CAPUT XXV.

Festus itaque provinciam ingressus, post triduum adscendit Hierosolymam a Caesarea. Ad novi praefidis adventum recruduit Judaeorum malitia. Mox enim adierunt illum summi sacerdotes ac primores Iudeorum, hoc favoris a novo praefide flagitantes, ut hactenus sibi faveret adversus Paulum, ut accerseret eum Hierosolymam, quod incommodum esset Caesareae causam persequi. Sperabant enim praefidem, qui nuper venisset in provinciam, et ignarus esset eorum quae gerebantur, hac in re facile gratificaturum ipsis. Caeterum hoc convenerat inter Iudeos, ut si Festus annuisset ipsorum postulationi, stractis insidiis occiderent Paulum in via. Festus autem aequior, quam illi volebant, respondit, ut Paulus quidem Caesareae servaretur, se vero propediem eo profecturum, et causam illorum cogniturum. Proinde si qui sunt, inquit, inter vos idonei ad huius causae persequutionem, descendant una mecum Caesaream. Ibi sistetur vobis



reus. Et si quod est in hoc viro, de quo narratis, cri-
men, accusent eum. Commoratus autem inter eos 6
dies plures quam decem, profectus est Caesaream. Ac
postridie sedet pro tribunali, iussitque sisti Paulum.
Qui quum productus esset, circumsteterunt illum Ju- 7
daeui qui venerant Hierosolymis, intentantes illi multa
simul et gravia crimina, sed quorum nullum poterant
probare: Quum Paulus pro se respondens, perspicuum 8
faceret, se neque in legem Judaeorum, quam servaret,
neque in templum, in quo pure et quiete versatus fue-
rat, neque in Caesarem quidquam peccasse. Festus 9
autem quum intellexisset et Pauli innocentiam, et im-
placabile Judaeorum in eum odium, sic studens grati-
ficari Judaeis, ut tamen reo non videretur fecisse ini-
uriā, ait Paulo: Vis ire Hierosolymam, et illic
iudicari apud me? Suspicabatur enim id fore gratum
Judaeis, qui prius hoc flagitaverant. Tum Paulus non 10
ignarus quid molirentur Judaei, respondit: Non est,
cur alio reiiciatur haec causa, quandoquidem nihil ob-
stat, quo minus hic vel absolvar, vel damner. Ad
tribunal Caesaris adsto reus, in civitate Caesarea, hic
oportet me iudicari. Judaeis nullam iniuriā feci,
sicut tu quoque melius nosti. Nam si qua in re illos 11
laesi, aut si alioqui quidquam admisi capitū supplicio
dignum, non deprecor mortem. Quod si vana sunt
omnia, quae isti mihi obiciunt, nemo iudicem agens
potest me praeter ius illorum odiis donare. Neque
enim iudex in gratiam cuiusquam potest damnare reum,
Caesarem appello. Sub haec Festus communicato ser- 12
mone cum concilio Judaeorum, respondit Paulo: Cae-
sarem appellasti, ad Caesarem ibis. Malebant enim
Judaei Paulum ad Caesarem relegari, quam absolvi,
sperantes oblatum iri occasionem, per quam tollerent
illum aliquando e medio. Interea transactis aliquot 13
diebus rex Agrippa, qui patri Herodi ab angelo per-
cuso, in regnum succederat, una cum Bernice uxore



venerunt Caesaream salutaturi Festum novum praesi-
14dem. Quumque dies complures illic commorarentur,
Festus per occasionem exposuit regi causam Pauli hunc
15in modum: *Est hic vir quidam relicitus a Felice, cui*
successi, vincitus, de quo quum venisset Hierosoly-
mam, adierunt me summi sacerdotes ac primores Ju-
daeorum, postulantes ut in ipsorum favorem pronun-
16*tiarem adversus illum sententiam. Quibus respondi,*
non esse Romanis hunc morem, ut in gratiam cuius-
quam donent quemquam hominem in exitium, prius-
quam reus praesentes habeat accusatores, locumque ac-
cipiat defendendi se de obiectis criminibus. Itaque
17*quum huc conyenissent accusatores, sine ulla dilatione*
postridie sedi pro tribunali, iussique adduci reum.
18*Quumque prodissent accusatores, nullum crimen ob-*
19*iiciebant de rebus his, de quibus ego suspicabar. Tan-*
tum quaestiones quasdam de sua superstitione move-
bant adversus eum, et de quodam Iesu defuncto, quem
adfirmabat Paulus revixisse, ac nunc quoque vivere.
20*Ego vero videns eiusmodi quaestiones non admodum*
convenire meae cognitioni, neque satis certum habens,
quid in ea causa pronuntiarem, rogavi eum, num
vellet ire Hierosolymam, atque illic experiri iudicium
super hisce rebus, quae notiores essent sacerdotibus,
21*scribis ac pharisaeis. Id quum recusasset Paulus, ap-*
pellans Caesarem, ut illius cognitioni servaretur, iussi
illum interim servari in custodia, donec per occasio-
22*nem mitterem illum ad Caesarem. His auditis, re-*
spondit Agrippa Festo: Audivi iam pridem multa de
Iesu isto, deque discipulis illius, quamobrem vellem et
ipse audire hominem istum, priusquam eat ad Cae-
sarem. Tum Festus: Cras, inquit, audies eum.
23*Postero die quum venisset Agrippa, simulque Bernice*
multo cum strepitu atque apparatu, introiissentque in
auditorium cum tribunis ac primoribus civitatis, iu-
24*bente Festo adductus est Paulus. Tum Festus, ne*

tantum in regis gratiam videretur adduxisse Paulum, hunc in modum loquutus est: *Agrippa rex, et omnes quotquot hic nobiscum adestis viri, videtis hominem, de quo tota multitudo Iudeorum interpellavit me, tum Hierosolymis, tum hoc in loco, magnisque vo- ciferationibus acclamarunt, non esse fas eum amplius vivere. Ego vero, disquisitione facta, comperi illum²⁵ nihil admisisse dignum supplicio capitio.* Caeterum quum ipse ultro appellasset Caesarem, statui illum eo mittere. De quo certum quod scribam domino, non²⁶ habeo. Quapropter produxi eum ad vos, et maxime ad te, rex Agrippa, ut examinatione facta, habeam quod scribam. Iniquum enim mihi videtur, mittere²⁷ vinculum, neque significare crimina, de quibus accusatur.

CAPUT XXVI.

Hic Agrippa rex versus ad Paulum, qui vincitus adstebat, ait: *Permittitur tibi loqui pro temetipso, si quid habes, quo causam tuam defendas.* Moxque Paulus porrecta manu, defensionem sui sic exorsus est. Magni referre puto, rex Agrippa, apud quem iudicem reus causam dicat. Etenim qui fudit innocentiae suae, huic nihil optabilius, quam ut contingat iudex, qui causam aut optime norit, aut facillime possit discere. (*) Nam apud iudicem non intelligentem negotium, de quo agitur, frustra disertus est, qui dicit. Quamquam itaque mihi varia crimina obiciuntur a Iudeis, tamen hoc nomine me fortunatum iudico, qui causam hanc hodie dicturus sum apud te, cui notissimae sunt et consuetudines et quaestiones gentis iudai- cae. Qua propter te rogo, ut patienter me audias. Principio, quod quidem obiciunt me peccare adver- sus legem, quam sit falsum, omnis mea vita ad hunc

(*) Clerici editio habet, dicere, minus recte.



usque diem acta satis declarat. Quamquam enim Tar-
si natus sum, tamen a primis annis inter Judaeos in-
stitutus sum Hierosolymis, ubi et legem studiose didi-
ci ad pedes Gamalielis. Itaque vitam meam pure reli-
gioseque actam inter gentis meae homines, et in omni-
um celeberrima civitate neverunt Judaei, qui me ante
multos annos cognoverunt, ex quo primum Hiero-
solymis versari coepi, si modo velint id, quod sciunt, pro-
fiteri. Neque enim solum iudaicae religionis sedulus
cultor fui, verum etiam eam sectam, quae caeteris et
religionis studio, et legis exactissima cognitione pree-
cellit, amplexus sum, nimurum phariseorum. Im-
pudenter autem accusant me parum esse Judaeum, qui
fuerim et sim phariseus, quasi quis Judaeum esse ne-
get, qui Hierosolymis non sit natus. Nam ex Judaeis
phariseorum secta praecipue credit futuram corporum
resurrectionem, et unumquemque, prout in vita hac se-
gessit, praemia sortiturum. Nec unquam descivi a se-
cta pharisaica, quin et nunc ob spem felicitatis, quam
Deus repromisit patribus nostris, his qui pie transfe-
runt hanc vitam, sto subiectus iudicio. Quod si cri-
men est sperare, quod Deus promisit suis cultoribus,
mihi crimen hoc cum multis commune est. Etenim
duodecim tribus gentis nostrae, quo tandem animo co-
lunt Deum instanter nocte ac die, nisi quod sperant,
sese ad hanc felicitatem ab eo promissam perventuras?
Vix igitur Judaei nomine dignus videtur, qui non
sperat, quod Deus promisit. Atqui ob hanc spem,
rex Agrippa, nunc potissimum vocor in ius a Judaeis.
Scio multis absurdum videri, si quis dicat corpus se-
mel mortuum ac putrefactum reviviscere. Sed multa
videntur hominibus absurda, quae post comperiunt
esse verissima. Si quis praedicet hominem ab homi-
ne posse revocari ad vitam, merito videatur absurdum
dicere. Verum cur incredibile iudicatur apud vos, si
Deus, qui potest quidquid vult, suscitat mortuos. An



qui vitam dedit omnibus, non potest quibus vult reddere? An illum mendacem esse credimus, ut quod promisit, non sit praestaturus? Quin et mihi usu venit, 9
ut quod prius videbatur absurdum, post compererim verissimum, et quod ante videbatur impium, et legi nostrae adversum, post compererim et pietatis et religionis esse caput; adeo, ut quo animo nunc in me sunt Judaei, hoc ipse quondam fuerim erga discipulos Iesu Nazareni, adversus cuius nomen rebellans totis 10
viribus, existimabam me religiose facere, si quantis possem malis illius professores affligerem, quod et feci Hierosolymis. Multos enim sanctos conieci in carcerem, impetrata ut id facerem a summis sacerdotibus auctoritate, quumque occiderentur detuli sententiam. Nec Hierosolymis tantum, sed et per omnes synagogas, ubicumque conciliabula illorum deprehenderem, puniebam illos, malis huc adigere studens, ut in sanctissimum nomen illud essent blasphemi, quemadmodum ego tum eram. Nec his contentus, maiore etiam insania debacchatus sum in illos, adeo ut in exteris etiam civitates ac procul ab Hierosolymis semotas proficerer, ut eius nominis professores afficerem supplcio. Quumque totus intentus huic crudeli negotio, 12
non ex malitia, sed studio legis patriae proficerer Damascum, armatus auctoritate summorum sacerdotum, die medio, rex Agrippa, vidi e coelis subito promicare lucem multo clariorem splendore solis. Ea 13
circumfulsit et me, et comites meos qui aderant. Quum autem omnes attoniti fulgore luminis decidis- 14
semus in terram, audivi vocem loquentem ad me, ac dicentem hebraica lingua: Saul, Saul, cur me persequeris? Durum est tibi iactare calces adversus stimulum. Hic ego respondi: Quis es domine? Tum ille 15
contra: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Sed surge, et erige te in pedes tuos. Ideo deieci persequutorem, ut erigam praeconem nominis



16 mei. *In hoc enim nunc apparui tibi, ut a me deie-
ctus, et haec quae vidisti, testificeris atque exsequa-
ris, et ea quae in posterum per visiones significabo ti-
bi.* In quibus omnibus adero tibi protector, eripiens
te de populis ac gentibus barbaris proculque semotis,
ad quas nunc te legatum mitto, ut quemadmodum
18 tu nunc subito liberatus ab errore, pro caeco factus es
oculatus, ita praedicatione veritatis evangelicae, ape-
rias oculos eorum, ut a tenebris errorum ac vitiorum,
quibus hactenus detinentur, convertantur ad lucem
evangelicam, utque qui hactenus idolatriae dediti,
mancipia fuere satanae, transferantur ad Deum, qui
dominus est omnium, et qui hactenus omni turpitudi-
nis genere fuerunt inquinati, nunc per fidem evange-
licam gratis accipient remissionem omnium peccato-
rum, quique hactenus dicti sunt non populus, alieni a
Deo, alieni ab omni consortio sanctorum, nunc sortem
accipient inter eos qui sanctificati sunt, non per cir-
cumcisionem aut legis observationem, sed per fiduciam
erga me, quia credunt evangelio. Nec enim cuique
19 alia via nunc contingit sanctificari. Haec, Agrippa
rex, neque noctu nec in somnis acta sunt, sed clara
luce fulgorem conspeximus multi, et vocem clare lo-
quentem audivimus. Unde certus haec a Deo coeli-
tus geri, non me praebui inobedientem coelesti visio-
ni, sed omisso negotio, quod institueram, longe di-
versum agere coepi, prius ac potius dicens exequi,
quod Deus mandarat, quam quod summi facherentes.
20 Nam statim Damasci, mox Hierosolymis, deinde per
omnes Judaeae regiones, denique et inter gentes va-
riias ac procul lemotas praedicabam evangelium, ut vi-
tae superioris poenitentiam agerent, et converterentur
ab idolis mutis ad Deum verum ac vivum, utque se-
mel purgati baptismo, deinceps facerent opera digna
21 iis, qui vere resipuiscent. *Hanc ob causam Judaei,
quum me vidissent in templo, comprehensum tenta-
bant*



bant interficere. Nec armis humanis hactenus me defendi, sed protectore Deo, cuius iussu facio quod facio, subsisto usque in nodiernum diem, testificans tum maximo cuique tum minimo, de his quae iussus sum omnibus absque delectu personarum praedicare, nullam novam doctrinam ex me communiscaens, sed nihil aliud praedicans, quam ea quae Moses ac prophetae praedixerunt futura. Siquidem et Iudei haec solent disputatione de Christo ex vaticiniis prophetarum, an Messias esset venturus, malis hominum mortique obnoxius, an esset omnium primus auspicaturus resurrectionem corporum, an lumen veritatis annuntiaturus primum populo Israelitico, deinde et gentibus. Haec omnia quum praedita sint a prophetis et Mose de Messia, praedico non esse exspectandum alium Messiam, quandoquidem ista iam expleta sunt in Iesu Nazareno, nihilque iam supereesse, nisi ut per poenitentiam vitaeque novitatem omnes sese praeparent in illius redditum, quando venturus est iudex totius mundi. Quum Paulus haec aliaque multa pro sui defensione diceret, Fesus, qui nihil intelligebat rei iudaicae, pro delirantis dicens, quae dixerat de visione, deque resurrectione corporum, clara voce dixit: Insanis Paule. Evenit tibi quod multis solet. Multitudo literarum tibi sanam mentem eripuit. Ad hoc Paulus: Non insanio, praestantissime Feste. Siquidem insania est, per errorem mentis a vero delirare. Ego vero sobrius, quae vera sunt eloquor; quae scire, vera sanitas est. *Haec enim ita se habere novit rex, apud quem his de rebus eo liberius loquor, quod existimem, nihil illum latere eorum quae narro.* Neque enim res in angulo gesta est, sed in propatulo, deinde rumor per universam Iudeam dimanavit. Mox Paulus versus ad Agrippam, ait: *Credis, rex Agrippa, prophetis? Scio quod credis.* His qui credit, non potest non credere evangelio, praedicanti factum, quod prophetae futurum praedixerant. Agrippa vero sermonem interrumpens, dixit Paulo:

Tom. III.

O

Modica ex parte persuades mihi ut fiam christianus.
29 *Tum Paulus: Evidem illud optarim a Deo, non tan-
tum modica ex parte, verum etiam magna, nec te mo-
do, sed omnes etiam, qui me audiunt hodie, esse tales,*
30 *qualis ego sum, exceptis hisce vinculis. Haec ubi di-
xerat Paulus, surrexit rex ac praeses et Bernice, si-
mulque caeteri qui assederant. Quumque secessissent,
de negotio communicaturi, discessum est ab omnibus
in hanc sententiam, ut dicerent nihil admissum a Pau-
lo dignum morte aut vinculis. Itaque futurum erat,
ut dimitteretur Paulus, nisi rex Agrippa dixisset Festo
praesidi: poterat hic homo absolviri a causa, nisi ap-
pellasset Caesarem.*

CAPUT XXVII.

1 *I*taque quum ex sententia regis Agrippae decretum es-
set, ut Paulus, quemadmodum appellarat Caesarem,
iret in Italiam, tradiderunt Paulum, cumque hoc alios
quosdam vindicos centurioni nomine Iulio, cohortis Au-
2 *gustae. Conscendimus autem navim, quae venerat ex
Adrumeto Africæ civitate, quae nos exponeret in
Asiam minorem, quod ea iuxta oras Asiae esset itura,
perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonici-
ensi, qui navigationis etiam comes esse voluit. Ita-
que postridie quam solvissimus Caesarea, appulimus Si-
3 *donem. Hic Iulus centurio, quoniam Paulum consti-
tuerat tractare humaniter, permisit ut egressus navim,
iret ad amicos, si quos haberet Sidone, atque ab illis
4 curaretur. Hinc rursus ubi solvissimus, non commi-
simus nos spatio mari, sed ad laevam praeterlegimus
5 litora Cypri, eo quod venti essent adversi. Atque ita
pelagus, quod est contra Ciliciam ac Pamphyliam
eimensi, pervenimus Myram, ea est in littore Lyciae.
6 *Hic centurio nactus alieni navim, quae venerat ex Ale-
xandria Aegypti, navigatura in Italiam, transposuit***



nos in illam. Quumque multis diebus tarde navigassemus, vixque tandem devenissemus contra Gnidum, videlicet reflante vento, defleximus cursum ad insulam Cretam, iuxta civitatem eius insulae littoralem, cui nomen Salmon, sive ut nonnulli vocant, Sammonium. Hanc quum aegre praeternavigasssemus, pervenimus ad aliud Cretae littus, cui nomen Pulchri portus. Huic loco erat vicina civitas Lasaea. Porro quum multum iam temporis in hac navigatione consumtum esset, Paulus quum perspiceret, quod iam inciperet esse periculosa navigatio, non solum ob id, quod ventis adversantibus non possent tenere cursum, quem volebant, verum etiam quod ultra iustum tempus non curassent corpus cibo, admonuit nautas, dicens: *Viri, perspicio quod haec navigatio futura est cum iniuria, multoque damno ac periculo, non tantum oneris et navis, verum etiam vitae vestrae, quare praestiterit à navigando desistere.* Porro conturio magis auscultabat gubernatori et nauclero, quam Pauli monitis. Quoniam autem illic non occurrebat portus idoneus ad hybernandum, complures hoc eepere consilium, ut si modo possent, pereherentur usque ad Phoenicem. Is est portus Cretae prominens in mare ad ventum Africum et Corum. Interea quum adspiraret Auster, radi se voti fore compotes, ut Phoenicem pervenirent, solverant a littore Afri, ea est Cretae civitas, ac praelegebant oram Cretae. Verum haud multo post obortus est ventus subitus ac violentus, omniumque maxime formidatus nautis, quem vocant Typhonem. Idem a plaga mundi, unde flat, dicitur Euroaquilo, quod inter Eurum flet et Aquilonem. Is quum impetu suo corripuissest navim, nec posset obniti tempestate, dedimus vela ventis, et arbitrio ventorum ac fluctuum ferbamur. In insulam autem quamdam delati, quae Cretae est ad Austrum nomine Claude, aegre potuimus obtinere scapham, ut si quid accideret, esset praesidio. Qua tantum sublata in navem, et aliis item

auxiliis utebantur, funibus subcingentes navim, ne vado illisa facile solveretur. Metuebant enim ne ventus impelleret in Syrtim ad Austrum vicinam, quo Typhon ferebat, simulque demisere vas ad retardandum navis
18 impetum. Atque his praefidiis adiuti ferebamur. Porro quum non conquiesceret tempestas, sed magno periculo iactaremur, sequenti die venerunt ad extrema praefidia, ac proiectis oneribus in mare, iacturam fecerunt,
19 quo navem sublevarent. Rursus perseverante tempestate, tertio die etiam navis armamenta nostris manibus proiecimus. Porro quum ad dies complures neque sol appareret, neque sidera, ac tempestas semper gravior urgeret, iam omnes ceperat desperatio salutis.
21 Accedebat huc, quod occupati difficultate navigationis, multo iam tempore non sumserant cibum. Hic Paulus adstans in medio illorum, dixit: Oportebat, o viri, prius obtemperare consilio meo, quo monui vos, ne solveretur a littore Cretae. Sic enim hoc incommodum et rerum iacturam vitassetis. Id quoniam mutari non potest, superest ut vel sero sapiatis. Nolite despondere animum. Nullus enim ex vobis peribit. Tantum navis erit iactura. Non haec ex me somnio, sed nocte hac adstitit mihi angelus Dei, cuius
24 ego sum minister et cultor, dicens: Ne metuas Paule, non hic petibis, sed oportet te prius sisti Caesari. Nec tu solus evades incolumis, sed omnes hos, qui sunt in
25 navi tecum, tuis precibus donavit Deus. Quapropter bono, inquam, animo estote viri. Nihil enim dubito, quin quemadmodum per angelum suum promisit
26 Deus, sic futurum sit. Quod si quaeritis, qua ratione possit consuli vitae omnium, oportet nos in insulam
27 quamdam eiici, ibi navi fracta servabimur. Porro ubi decima quarta nox supervenisset, iamque navigamus in mari Adriatico, nautae prospectantes circa medium noctis, suspiciati sunt sibi apparere regionem ali-
28 quam. Qui volentes experiri, an eo tuto possent appellere, demiserunt funiculum alligato plumbo, quem



nautae à iactu bolidem vocant, ac repererunt profunditatem passuum viginti, pauloque longius proiecti, ac rursum demissa bolide, repererunt passus quindecim. Caeterum ubi sentirent decrescere profunditatem, me-²⁹
tuentes ne inciderent in loca aspera ac saxosa, iactis de puppi anchoris quatuor, optabant oriri diem, quo certius dispicerent, quaenam appareret regio. Nautae ³⁰ vero, desperata navi, quoniam senserant se non procul abesse a terra, primum sibi studuerunt consulere, eo-
que scapham demittunt in mare, dissimulantes se para-
re fugam, sed praetexentes, quasi ob vim tempestatis
vellent et a prora ancoras demittere. Paulus autem ³¹
non ignarus quid agerent, et scien-
tiam ad servandos caeteros,
qui erant in navi, nautarum opera fore opus, admo-
nuit centurionem ac milites: *Nisi isti, inquiens, man-
serint in navi, vos servari non potestis.* Hoc audito, ³²
milites gladiis inciderunt funes scaphae pendentis, ac
passi sunt illam excidere in mare. Quum autem rare-³³
scente nocte inciperet apparere dies, *Paulus hortaba-
tur omnes, ut cibum sumerent, dicens: Dies hic deci-
mus quartus est, quod perseveratis esse ieconi, nec ullo
cibo curastis corpora, quapropter hortor vos, ut su-
matis cibum.* Hoc ad salutem vestram pertinet, ne ³⁴
liberati a tempestate, fame periclitemini. Non est enim quod cogitetis, quorsum attinet sumere cibum
mox perituros. Nam hoc promitto vobis, quod nulli
vestrum peribit vel capillus de capite. Haec loquutus ³⁵
Paulus, sumto in manus pane, gratias egit Deo in
conspicu omnium, quumque fregisset, domini Iesu
exemplum referens, coepit comedere. Porro Pauli tum ³⁶
oratione tum exemplo iam omnium recreatis animis,
sumserunt et ipsi cibum. Summa autem omnium, ³⁷
qui eramus in navi, erat ducenti septuaginta sex.
Expleti cibo, sublevabant navim, quo propius posset ³⁸
appellere in terram, eiicientes in mare triticum, quod
ex Aegypto, vetere Romanorum granario, devehe-
bant in Italiam. Ubi vero iam diluxisset, terram qui-³⁹

dem quam videbant, non agnoscebant. Caeterum animadverterunt, eam habere sinum quemdam hinc atque hinc porrecto littore, in quem destinabant, si possent, navim impellere. Sublatis igitur ancoris, committebant se mari, simul laxatis et gubernaculorum iuncturis, quo possent et his uti ad dirigidum quod vellent navis impetum. Tum sublatis in altum velis, antennis ad ventum offlexis, secundum aurae flatum itendebant ad littus. Caeterum quum non possent obtinere sinum quem petebant, sed vi ventorum incidunt in locum prominentem in mare, huc impegerunt navim. Ac prora quidem infixa vado, manebat immobilis, puppis vero solvebatur vi undarum. Itaque iam nihil supererat, nisi ut natando suae quisque vitae consuleret. Hic militum consilium erat, ut vinculos occiderent, ne quis quum enataisset, effugeret. Hoc barbarum et immane consilium coercuit centurio, cupiens servare Paulum, cuius consilio ipsi servarentur. Verum ne quis omnino periret, iussit ut qui natandi essent periti, se primos abiicerent in mare, et natatu in terram evaderent. Qui natare nescirent, partim nixi tabulis, partim aliis navis instrumentis adiuti, reciperent sese in terram. Hac ratione factum est, ut omnes tandem evaderent in terram.

CAPUT XXVIII.

I *Quum appellerent, non agnoscebant quaenam esset insula, verum posteaquam evasissent in terram, ex incolis cognoverunt, quod Melite vocaretur. Ea est inter Epirum et Italiam, spectans Siciliam ad septentrionem. Barbari vero miserti calamitatis nostrae, non medicorem humanitatem nobis praefliterunt. Nam accensa pyra, recipiebant nos omnes simul et imbре et frigore afflictos. Ubi vero Paulus congregasset farmentorum multitudinem, et posuisset super ignem, vipera, quae illic latitans prius frigore torpuerat, ex-*



citata calore prorepsit, ac mordicus arripuit manum Pauli. Barbari vero Melitaei, ut videre lethalem bestiolam pendentem a manu Pauli, dicebant: *Omnino hic homo necesse est ut sit homicida quispiam, quem quum tempestas eiecerit in columem e mari, tamen ultio divina non finit in terris vivere.* Paulus autem ut sensit viperae morsum, excussit eam in ignem, neque quidquam praeterea passus est mali. At illi existimabant futurum, ut veneno dilapso per venas, incenderetur atque intumesceret, aut repente mortuus concideret, vi veneni recta penetrante ad cor. Tandem quum illi diu exspectassent, quid accideret Paulo, viderentque nihil illi accidere mali ex morsu viperae, rursum barbarica levitate mutata sententia, dicebant illum esse Deum. Nondum enim audierant Melitaei de Iesu, qui hoc donarat sui nominis professoribus, ne vis ulla veneni, quantumvis praesentanea, posset ipsis nocere. Porro iuxta littus illud, in quod appulerant, erant praedia primatis eius insulae, nomine Publpii, qui nos exceptos in aedes suas, triduo benigniter tractayit. Eodem tempore Publpii pater febribus ac dysenteria laborabat, adeo graviter, ut etiam lecto decumberet. Paulus autem memor praecepti domini, ingressus est ad aegrotum, ac precibus ad Deum fisis imposuit illi manus, ac sanavit eum. Id factum ubi rumor sparsisset per insulam, eaeteri quoque, qui laborabant, adibant Paulum, et sanabantur. Quamobrem illi donec illic commorabamur, plurimum officiorum in nos contulerunt, et dum adornaremus navigationem, imposuerunt in navim ad commeatum necessaria. Mensibus itaque tribus in insula transactis, nauci sumus navim alteram Alexandriam, quae in Melite hybernaverat. Huic erat insigne Castor et Pollux, quos Graeci Diolcuros appellant, putantque bene fortunare navigationem, si coniuncti insideant antennis. Hanc ingressi solvimus a Melite. Posteaquam appulissimus Syracusas, ea civitas est Siliciae maritima, commorati su-

O 4



13mus illuc triduo. Solventes Syracusis, ac praeterle-
gentes Siciliae littora, devenimus Rheyum Italiae ci-
vitatem in agro Brutiorum. Ab ea civitate bre-
vissimus traiectus est in Siciliam. Nam hac parte
olim Sicilia contigua erat Italiae, donec vis ma-
ris intercurrentis divulsit utramque regionem, in-
terfuso freto non amplius quam M. D. P. in la-
tum, unde et nomen inditum a Graecis Rhegio.
Hinc post unum diem, afflante vento commodo, ni-
14*mirum Austro, delati sumus Puteolas.* Ubi quum
nauci essemus aliquot christianos, rogati sumus, ut ali-
quamdiu commoraremur illic. Itaque morem geren-
tes illorum voluntati, subsedimus illic dies septem, un-
15*de recta profecti sumus Romam.* Quoniam autem
iam rumor Romanum pertulerat ad fratres, nos eo ad-
venturos; nam Pauli nomen apud Romae agentes chri-
stianos, cum primis erat celebre ob epistolam ad illos
scriptam, prodierunt nobis obyiam ex urbe usque ad
Appii forum ac locum, cui nomen Tres tabernae. Horum conspectu vehementer recreatus est Paulus, in-
telligens et illic esse, qui sincero pectore faverent evan-
gelio, et actis Deo gratiis, sumfit fortem ac bene spe-
16*rantem animum.* Demum ubi pervenissimus Romam,
centurio reliquos vinculos tradidit principi exercitus.
Caeterum Paulo permisum est, ut maneret solus, uni-
17*co tantum adhibito milite, qui servaret eum.* Quo-
niam autem vincitus una cum aliis perductus est Ro-
manum, ne quis Judaeorum iuspicaretur, eum ob aliquod
maleficium ista pati, *post tertium diem convocavit pri-*
mores Judaeorum Romae degentium, apud quos ita
loquutus est: Ego, viri fratres, quum nihil admis-
rim adversus populum meum, aut instituta maiorum,
vinculus Hierosolymis, traditus sum in manus Roma-
norum, delatus Caesaream ad praefidem Felicem, dein-
18*de ad Festum. Qui quum causam examinassent, vo-*
luerunt me absolyere, eo quod, ut ipsi fatebantur, ni-
19*hil in me comperissent capitinis supplicio dignum. Ve-*



rum odiose *reclamantibus Judaeis, coactus sum appellare Caesarem*, non quod ob hanc causam sim offensus genti meae, paremque criminationem ullam apud Caesarem, et odium, quo laborat, augeam, sed ut meam tuear innocentiam. Omnibus enim bene cupio, qui Deum pure colunt iuxta legem patriam. Hoc enim ²⁰ erga vos affectu ductus, iussi vos huc accersi, quando vinculis onusto non licebat vos adire, ut ex vestro conspectu et alloquio nonnihil solatii caperem. Cur autem colit gens Israëlitica tanto studio Deum, contentis gentium simulachris, nisi quia sperat in resurrectione pietatis suae praemium? Ob hanc itaque spem, quae mihi communis est cum tota gente mea, circumdatus sum hac, quam videtis, catena. Nec aliud mihi crimen potest obiici. Ad haec Judaeorum primores responde- ²¹ runt hunc in modum: Quod te nobis purgas, quasi de-latus ab aliquo, scito quod neque quisquam a Judaea per literas significavit nobis aliquid mali de te, neque quisquam inde hoc veniens quidquam de te mali lo-quutus est. Cupimus tamen ex teipso discere, quae ²² sit tua sententia. Nam quod attinet ad sectam istam, nuper natam de Iesu Nazareno, qui resurrexit, compertum habemus, quod ubique ab omnibus illi reclamatur, tamquam vanae. Gratum erit igitur, si nos exactius de hac quid tu sentias docueris. Id quum ²³ Paulus libenter se facturum respondisset, praescripto die rursus ad illum convenerunt Judaei, plures quam antea venerant in hospitium, in quo Paulus versabatur. Quibus exponebat doctrinam evangelicam, testificans iam adesse regnum Dei, nec amplius exspectandum esse Messiam, docens hunc esse Iesum Nazarenum, id que demonstrans ex figuris legis mosaicae, ac vaticiniis prophetarum ostendens, quidquid erat adumbratum in lege, quidquid praedictum a Mose et propheticis, in Iesu palam ac plene exhibitum esse. His de re- ²⁴ bus quum Paulus copiose differuisset a mane usque ad vesperam, quidam e coetu Judaeorum crediderunt ora-

O 5



25 tioni Paulinae, quidam non crediderunt. Quumque inter se non essent concordes, cooperunt abire, Paulus prolixae orationi unum adhuc verbum adiiciente, quo taxaret illorum incredulitatem, qui tam manifestis iegi ac prophetarum de Iesu testimoniis non definerent diffidere. Bene, inquit, spiritus sanctus de vobis vaticinatus est, per Esaiam prophetam ad patres nostros, quorum obstinatam incredulitatem vos refertis.

26 *Vade, inquit, ad populum istum, et dic ad illos: Auribus audietis, nec intelligetis, et oculis cernetis, nec videbitis.* Incrastatum est enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compreserunt, ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligent, convertanturque et sanem ipsos.

27 28 Proinde scitote, quod haec salus, quae per Iesum offeritur a Deo, quando vos respuitis, deferetur ad gentes. Respuit enim, qui non credit, nec capax est huius gratiae, qui fidem non habet evangelio. Vobis primum annuntiatum est donum Dei. Sic enim iussit dominus. Oportebat autem vos potissimum credere, qui profitemini legem et prophetas, sed adversus haec omnia habetis oculos occlusos, aures obturatas, et cor incrassatum, reclamantes manifestae luci veritatis evangelicae. Gentes autem, quae nec Deum noviverunt, nec legem habent, aut prophetas, a simulariis suis convertentur, et per fidem consequentur hanc divinam benicitatem, quam vos adspernamenti gratis oblatam. Haec quum dixisset Paulus, discesserunt ab eo Judaei, multam habentes inter ipsos disceptationem. Mansit autem toto biennio in aedibus, quas conducterat, excipiens humaniter omnes, qui ipsum adibant, sive Judaeos sive incircumcisos, praedicans illis regnum Dei, ac docens cum omni fiducia, nemine prohibente doctrinam evangelicam, proferens vaticinia olim prodita de domino Iesu, tum illius facta, dicta, promissaque ad ea conferens.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI
AC DOMINO
DOMINICO CARDINALI GRIMANO VENETO,
TITULO SANCTI MARCI,
ERASMUS ROTERODAMUS

S. D.

Quibus novum videri solet, reverendissime pater, cur Paulus apostolus πολυγλωττότατος Romanis Graece, quam Romane scribere maluerit, mirari desinent, si perpenderint primum, illis temporibus graeci sermonis usum pene tam late patuisse, quam late romanum patebat imperium, deinde Romanis ipsis adeo quondam in delitiis fuisse graecanicas literas, ut ea res satyram convitiis sit exagitata. Siquidem apud Lucilium, Scaevola ridens Albutium, ut plus aequo φιλίαν; χαιρε, inquit, praetor Athenis, et apud Juvenalem stomachatur quispiam, negans se ferre posse graecam urbem. Quamquam ita graece loquutus est apostolus, ut a mere Graecis non satis queat intelligi, ob passim admixtam hebrei sermonis proprietatem. Quodsi maxime graeca, ac pure graeca fuisset oratio, multum tamen adhuc difficultatis supereffret lectori, quod quum scriberet rudibus adhuc, et nuper Christo iniciatis, mysteria quaedam magis attigit, quam tractavit, et indi-

